Dunski Alojzy

XI 10 35

JURECONSULTUS

in materia Censuum & Decimarum

juxta doctrinales Tractatus Rndissimi
olim NICOLAI ZALASZOVII U.J.D.
Archi-Diaconi Posnaniensis,

nunc recenter quibusdam additionibûs de speciebus & reductione monetæ antiquæ aliisq; scitu necessariis auctos & illustratos

Personis Spiritualibus
pro suo & Ecclesiarum suarum locorumq;
piorum interesse agentibus

Æqui Bonique

CONSULENS,

communes omnium ad usus

Annô Domini 1746.

ACCOMODATUS.

POSNANIÆ Typîs ACADEMICIS.

Ex Libris M. Casimiri Jasmanowicz U.J.D.
pro Bibliotheca Collegii Juridici Univ. Crac.
5

Stemma Gentilitium

PERILLUSTRIS MECÆNATIS



PERILLUSTRI
&
Admodùm Reverendo Domino
ALOYSIO DUNSKI,
Utriusq; Juris Doctori, Ecclesiarum Collegiatarum, Insignîs Varsaviensîs CANONICO, Beatæ MARIÆ Virginis in Summo Posnaniensi & Parochialîs Bukoviensîs PRÆPOSITO, DECANO Foraneo Bukoviensi,

Domino ac Mecænati Colendissimo.

ÆQui boniq; Consilii est: ut, qui consequendorum censualium redituum modum ex Nicolao Zálaszovio aliis porrexisti, ipse primus Censum gloriæ consequaris. Perrillustris & Admodùm Reverende Mecænas. Pâgina hæc ager est tuîs seminatus impensîs: unde præstat: ut Satori suo gratus florem honoris germinet, herbam producat gratitudinis. Quanquam

quam & calamus meus tuîs gratiîs adjutus, non est ita parcus, quin se in vota exerat millena, scribatve pro censu, quidquid penu Eloquentiæ pretiosius, aut æstimabilius continet. Meruêre pridem & merentur magni æstimari actiones Tuæ, quæ Te Virum integerrimum, propositi tenacem, rebus in angustis providentissimum, dextrum præterea & pium in Superos demonstrant; unde venit: quòd Cordibus Principum adhæseris, omniumq; mentes subintraveris, ut de Te majora semper cogitent, quàm Tu opinari possis. Gentilitiam quoquè Soleam Tuam sive manu sive calamò pulsò, semper mihi optimè sonat, in cursu bonorum operum infatigata, æruginem omnem socordiæ exclusit, insistensq; pii Nervæ vestigiis, illuc indies progreditur, ubi gloria Domini scopum posuit. Symbolum est illa laborum Tuorum, symbolum, irrequieti circa curam animarum motûs, symbolum cultioris politiæ, symbolum infracti in adversis animi, ac deinde bonorum operum index & testis. Quoquò enim illa tecum graditur, quoquò venit, quoquo stat in loco, ubiq; vestigia gratiosa relinquit; qualia in Ecclesiis per Te rectus mirari præstat & venerari. Nolo hìc Tua enumerare merita, quæ longè majora sunt, quàm ut ea brevibûs complectar, sufficit illa tanta esse, quanta suffecerunt ad hoc, ut Illustrissimis & Reverendissimis Petro & Joanni Tarłonibus Stanislao

Ho-

Hosio, & *Celsissimo Principi* Theodoro Czartoryski *Antistitibus Posnaniensibus, in summam æstimationem venires, fieresq; cordium eorũ Habitator pene ac Hæres. Principibus placuisse Viris si maxima laus est: quis Tê hac in parte laudabilior & beatior? Superâsti ea felicitate Ephestiones, nam hic unius olim Alexandri, Tu multorum Regni Poloniæ Principum mercatus es gratiam, non ad unam horam tantùm aut momentum sed ad singulos vitæ Tuæ dies duraturam. Mercaturâ hac nihil est optabilius & honorificentius nihil, illa Viros posthumos commendat, illa coronat & Diis facit propiores. Quærunt pleriq; Arabũ gazas, ut ditescant; curant Pactolinis innatari aquis, ut aurei, adeoq; acceptiores in oculis omnium fiant; sed plerumq; postquam in commune os hominum venerint, vilescunt; non pluris quàm ementitus unio vel subortum aurum efformati. Lucra verò animarum & affectuum quemadmodùm universa rerum excedunt pretia, ita in valore non mutantur, æstimationemq; mercantibus non adimunt, sed augent in ævum. Hoc ergo proventu amoris dum Te Mecænas Amplissime felicem præ aliis & beatum veneror, gratulari non cesso, quòd corda Principum & flagrantissimos erga te affectus traxeris; quorum quidem affectuum licetsi omnes sint maximi, ille tamen principalissimus est, qui Te capacem & idoneum reperit, ut esses Bonorum*

Epi-

Episcopatûs Posnaniensîs generalis Commissarius; quo in munere ea integritate, ea dexteritate, ea diligentiâ Te gessisti, ut non sit: qui Te gravaminosum aut inertiæ alicujus accuset. Dulce est plerisq; hactenus meminisse officii Tui, quo stante viguit inter subditos pax, in bonis floruit tranquillitas, in regimine omnis reluxit regularitas. Non prodierunt ex ore Tuo tonitrua aut gladii ancipites, qui subjectam plebem cæderent, sed mitis in omnes justusq; in singulos illa egisti: quæ suadebat fieri æquitas & justitia præstari. Tanta ergo ex optimo regimine Tuo resultat gloria, majorem leget posteritas in Synodo Diæcesana Illustrissimi olim & Reverendissimi Domini Stanislai Hosii *Episcopi Posnaniensis Abbatis Commendatarii Czervinensis, ubi totius Almæ Diæcesis judiciô compar repertus es, qui speciali Constitutione ad providendum securitati Actorum Consistorii Generalis Posnaniensis, deligendumq; ad ea reponenda locum designaveris, ut Argi centoculi aut Jani bicipitis instar ad casus futuros prospiceres, ne aliquando Ecclesiarum Diœcesis Posnaniensis fortunas absumerent. Quarum quidem fortunarum si aliquis tunc Tu vel maximè curam habere dignosceris, dum Jureconsultum in materia Censuum & Decimarum pro interesse Ecclesiarum Æqui Boniq; consulentem impensis Tuis conduxisti, ut communi-*

ni-

nitati & utilitati publicæ deserviret. Supervacaneum abhinc fore arbitror, ut quiq; Spirituales Viri Delphos aut Cyrrham petant, responsa ex Tripode relaturi; cùm Tu iis ad manum fere veracissimum Tripodem dederis, qui consulentibus se consulat, in dubiis resolvat, & ad vota singulorum respondeat. Non diffiteor grati animi testimonium Tibi exhibituros, memoremq; Nominis Tui famam novîs præconiîs aucturos, nimirum: quod Te unũ habeant, quem pro bono Ecclesiarum laboribus & impensîs non pænituit decertâsse. Utinam ergo coronent Actus Tuos boni Superi, utinam impensas Tuas longitudine dierum compensent, ut vivas incolumis quàm diutissimè.

Ita precatur

Perillustri & Admodùm
Reverendæ Dominationi,

M. Andreas Lipiewicz, Ph:. Doct: in Acad: Posn: Pòéseos, & Matheseos Pr: Geometra Juratus, Typographiæ Acad: Præfectus.

APPROBATIO.

Librum, cui Titulus: *Jure consultus in materia Censuum & Decimarum æqui boniq; Consulens*, quibusdam additionibûs de speciebus & reductione monetæ, auctum, operâ & impensîs Perillustris & Admodùm Reverendi Domini ALOYSII DUNSKI, U. J. D. Ecclesiarum Collegiatarum, Insignîs Varsavien: Canonici, B.M.V. in Summo Posnaniensi & Parochialîs Bukoviensis Præpositi &c. procuratum, qūoniam ad communem Ecclesiarū utilitatē ordinatus est, & nihil in se, quod Fidei Orthodoxæ & bonis moribus repugnet contineat, typîs imprimendum esse censui. Datum in Collegio Lubransciano Academiæ Posnaniensis Annô Dni 1746 Die 28. Junii.

M. CASIMIRUS JARMUNDOWICZ, U. J. Professor, Eccesiarum Collegiatarū SS. OO. Cracoviæ Canonicus, Ilcussiensis Decanus, Judiciorum Consistorii Posnanien: Assessor, Librorū per Dioecesim Posnan: Synodalis Censor, Studii Academiæ Posnaniensis Director mppr.

TRACTATUS
De Censibus.

CEnsus, in generali & communi acceptione significat, quidquid annuatim in quantitate, seu summa persolvitur, *ut habetur in L. Ætatem. ff. de censibus*; eaq; ratione comprehendit tributum & pensionem, *ut late, Covarruvias lib: 3. variarum resolutionum, cap:* 7:

In præsenti autem casu, (de quo agere intendimus) census accipitur. Quando quis, super bonis suis immobilibus, retentô penes se dominiô directô, & utilî, jus pensionis annuæ alteri inscribit & consignat : unde, & census consignativus appellatur.

Definiturq; à *Cencio, in tractatu suo Nobili de censibus, quæst:* 7. *numero* 1. Sic: *Est jus percipiendi responsionem*

sionem super re alterius justo modo acquisitum, & ad hæredes & successores quoscunq; transitorium, manente re apud imponentem.

Ex quo colligitur: quod iste contractus est realis non personalis, importatq; qualitatem quandam rei inhærentem (puta hypothecam seu obligationem bonorum) & cùm rei inhæreat, comitatur rem, ad quemcunq; possessorem illa pervenerit. *Ita Cencius & Rota Romana apud Ludovisium decis: 195. numero 9.*

Sciendum tamen, censum posse dupliciter considerari: formaliter, vel materialiter. Census formaliter consideratus, nihil aliud est: nisi jus percipiendi annuos reditus. Materialiter consideratus: est ipsemet reditus annuus, qui percipitur & levatur: Itaq; dum venditur census, non venit in venditione tali Census materialiter sumptus (id est pecunia quæ solvitur) sed formaliter sumptus, (id est jus percipiendi annuum redditum, quod jus inhæret rei, super qua imponitur census) *Ita Cencius loco citato. quæst: 45. à numero 11.*

Ex quo colligitur: censum formaliter sumptum esse quid diversum à re, super qua impositus est census. *Ita Rota Romana apud Ludovisium, decis: 281. numero 5.*

Et quando venditur Census non venditur res ipsa, sed jus exigendi certam quantitatem fructuum ex illa re, *ùt Rota Romana protulit apud Ludovisium decis: 388. numero 5.*

No-

Notandum & hoc: quòd Censuarius, ille propriè vocatur, qui se obligavit ad pensionem certam annuatim solvendam; atq; ita, venditor census: Censualista autem ille nuncupatur; qui habet jus percipiendi annuam pensionem, atq; ita emptor census. *Ita Bassæus in tractatu suo sub verbo: Census.* Quamvis, hæc aliquando intervertuntur, ut cēsuarius appelletur emptor census, *ut Rota Romana adnotavit parte 2. Recentiorum decisione 620.* His præmissis sit,

§. PRIMUS.

De Bullis Summorum Pontificum respectu validæ impositionis census.

SCiendum est, ut iste contractus censualis esset licitus emanatas fuisse certas Bullas, & imprimis Martini V. Summi Pontificis, quæ Bulla Martini V. Papæ ad instantiam Cleri & Incolarum Civitatis & Diœcesis Vratislaviensis emanata fuit, ut consvetudinem ab immemorabili tempore, in eisdem, Civitate & Diœcesi, partibusq; vicinis observatam, præscriptam, acmoribus utentium introductam approbatam confirmare dignaretur expressum est. Quòd consuetudine ibidem fuit introductum, vendere & inscribere super bonis suis annuum censum, unius, vel plurimum marcarum, aut grossorum Pragensium ad rationem, & pro qualibet marca annui census, decem, undecem, tredecem, & quatuordecem marcæ, aut plus, vel minus, secundum temporis quali-

tatem, prout ipsi contrahentes inter se convenerint, ipsiq; venditores, tunc integraliter in pecunia numerata solui consueuerant. Bonis in ipso contractu expressis, pro ipsius census annui ex solutione in perpetuum obligatis. Et semper, in ipsis contractibus, expresse ipsis venditoribus data fuit facultas & gratia, quòd, ipsum annuum censum, in toto, vel in parte, pro eadem summa denariorum, quam ab ipsis Emptoribus receperunt, quandocunq; vellent, liberè, absq; alicujus requisitione, contradictione, vel assensu, possent extinguere, & redimere; ac se ab ipsius censûs solutione, extunc penitus liberare. Sed ad hoc hujusmodi censûs venditores inviti nequaquam, per emptores arctari vel adstringi valerent, etiam ipsis possessionibûs, & bonis obligatîs penitûs interemptîs, seu destructîs. Et quod talis contractus emptionis & venditionis, per Episcopos Vratislavienses pro tempore existentes, & eorum Officiales, necnon per diversos Dominos temporales locorum, & Terrarum, in quibus hujusmodi censûs constituti, existunt, tanquam licitus, & communi utilitati deseruiens, sæpiùs confirmatus pariter & approbatus. Quodq; etiam super hujusmodi censibus, plurima beneficia Ecclesiastica, Collegia, Canonicatus, & Præbendæ dignitates, personatus, & Officia, Vicariæ, Altaria, de expresso consensu, & voluntate Dominorum temporalium, sub quorum Territoriis, dicta bona obligata, consistebant, erecta,

dotata

dotata, & fundata, authenticis, eorundem Dominorum temporalium literis, sigillis, sigillatis & roboratis fuerunt. Quodq; venditores eorundem censuum se non nunquam ad ipsorum censuū solutionē, pœnis, & censuris Ecclesiasticis ordinariorum locorum, sponte & libere submiserunt. Sicut etiam aliqui eorum tractu temporis compulsi fuerunt, & compelli consueverunt: Tamen nonnulli ex venditoribus ipsis in pravum arcum conversi, cupientes cum alterius pecunia locupletari, hujusmodi census hucusq; per eos antea libere, & absq; ulla contradictione solutos, eisdem emptoribus, tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, solvere contradicunt, & recusant, confingentes hujusmodi emptionis & venditionis contractus fore & esse usurarios, & illicitos, ipsos emptores Ecclesiasticos, & Sæculares, necnon Collegia, Canonicatus, & Præbendas, &c. ipsorum annuorum censuum spoliant perceptione, & detinent spoliatos, in animarum suarum periculum, eorumque emptorum præjudicium; damnum, & gravamen. Et propterea, an contractus emptionis & venditionis hujusmodi licite existant? à nonnullis hæsitatur. Quare pro parte eorundem Cleri Nobilium, Incolarum, & habitatorum Civitatis, & Diœcesis, Vratislaviensis, dicto Martino V. Summo Pontifici, supplicatum fuit; an contractus hujusmodi liciti vel illiciti censeri deberent? declararet.

Summus itaq; Pontifex contractus ejusmodi Juridicos,

ridicos, & licitos esse declaravit. *Ut videre est in Extravagantibus communibus, cap: 1. tit: de emptione & venditione.*

Post hanc Bullam Martini V. Calixtus ejus nominis III. Papa ad instantiam & supplicationem, universi Cleri, Civitatis & Diœcesis Magdeburgensis dictam Bullam Martini IV. Papæ in Civitate & Diœcesi Magdeburgensi, observari Apostolica authoritate mandavit. Contradictorem verò per censuram Ecclesiásticam, appellatione remota, compescere permisit. Non obstantibus, &c. *Ut habetur hæc Bulla, in Extravagantibus communibus. dic: tit. de emptione & venditione cap.2.*

In quibus Bullis quinq; conditiones appositæ esse conijciuntur.

Prima, Ut census iste constituatur, in bonis immobilibus in ipso contractu expressis, & solùm eadem bona remaneant obligata.

Secunda conditio; Ut certum competens pretium, in pecunia numerata, secundùm temporis qualitatem, prout ipsi vendentes & ementes in contractibus super his inter se firmaverunt solvatur, & numeretur ab emptore.

Tertia conditio; Ut venditor, habeat facultatem liberam redimendi censum, quandocunq; sive in totum, sive ex parte, idq; pro eodem pretio.

Quarta conditio; Ut venditor, non obligetur ad redimendum censum, sed sit in ipsius libera facultate.

Quinta

Quinta conditio; Ut si res censui subjecta, casu aliquo fortuito pereat, census etiam pereat & extinguatur.

Successit tandem *Bulla seu Constitutio Pii V. Papæ, Annô 1569. die 29. Januarii, Romæ publicata. Quam Quaranta in summa Bullarii sub verbo: Contractus censualis, folio, apud me 281. & Cencius in tract: suo de censibus ante præfationem referunt, Et in Constit: Diœcesana Cracoviensi, ab Illustrissimo & Reverendissimo Martino Szyszkowski celebrata, folio apud me 113. ingrossata, habetur.* Cujus Bullæ tenor est talis.

CUm onus Apostolicæ servitutis obeuntes cognoverimus, innumeros celebratos fuisse, & in dies celebrari contractus censuum, qui nedum continentur intra limites à nostris Antecessoribus eisdem contractibus statutos, verùm etiam quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propterea ardentem avaritiæ stimulum, legum etiam Divinarum manifestum contemptum præseferunt; non potuimus animarum (prout tenemur) saluti consulentes: ac piarum mentium petitionibus etiam facientes, tam gravi morbo, letiferoq; veneno, salutari antidoto mederi. Hac igitur Nostrâ constitutione statuimus, censum annuum redditum creari, constituive nullo modo posse: nisi in re immobili; aut quæ pro immobili habeatur de sui natura, fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit.

Rursum! nisi verè in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti; non autem priùs, recepto integro justoq; pretio.

Solu-

Solutiones quas vulgò anticipatas appellant fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

Conventiones, directè, aut indirectè obligantes, ad casus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractûs non tenetur, nullo modo, valere volumus,

Quemadmodum, & pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam. Quia volumus rem ipsam semper, & liberè, ac sine solutione laudemii seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari.

Ubi autem vendenda sit; volumus, Dominum censûs, aliis omnibûs præferri, eiq: conditiones; quibus vendenda sit, & per mensem expectari.

Pacta continentia, morosum debitorem teneri ad interesse lucri cessantis; vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, seu expensas, medio juramento creditoris liquidandas; aut rem censui subiectam; sive aliquam ejus partem amittere: aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde quæsitum perdere; aut in aliquam pænam cadere, ex toto irrita sint & nulla.

Imò & censum augeri, & novum creari super eadem vel alia re, in favorem ejusdem, aut personæ per eundem suppositæ, pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri, omnino prohibemus.

Sicut etiam annullamus pacta continentia solutionem onerum ad eum spectare, ad quem aliàs, de jure, & de natura contractus non spectarent.

Postremò, census omnes in futurum creandos, non

solum

ſolùm re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuoſa, in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire. Sed etiam poſſe pro eodem pretio extingui, non obſtante longiſſimi etiam temporis, ac immemorabilis, immo centum & plurium Annorum præſcriptione: non obſtantibûs aliquibûs pactîs, directè aut indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscunq; verbis, aut clauſulis concepta ſint.

Cùm autem traditione pretii, reditus extinguendus erit, volumus per bimeſtre ante id denuntiari ei, cui pretium dandum erit; & poſt denuntiationem (intra annum tamen) etiam ab invito repeti poſſe: & ubi pretium nec volens, intra bimeſtre ſolvat; nec ab invito, intra annum exigatur: Volumus nihilominus quandocunq; reditum extingui poſſe; prævia tamen ſemper denuntiatione, de qua ſuprà, & non obſtantibus his, de quibus ſuprà; idq; obſervari mandamus, etiam quo ad pluries, ac pluries denuntiatum fuiſſet, nec unquam effectus ſecutus fuiſſet.

Pacta etiam continentia pretium censûs, extra caſum prædictum ab invito, aut ob pænam, vel aliam cauſam repeti poſſe, omnino prohibemus.

Contractusq; ſub alia forma poſt hac celebrandos, feneratitios judicamus: & ita, illis propterea non obſtantibûs quidquid expreſsè, vel tacitè, contra hæc noſtra mandata dari remitti, aut diminui contingat, à Fiſco volumus, poſſe vindicari.

Hanc autem ſalutiferam ſanctionem, ne dum in cenſu noviter creando verùm etiam in create, quocunq; tempo-

re alienando: modò post publicationem creatus sit, perpetuò, & in omnibus servari volumus.

Declarantes pretium census simul constitutum, nunquam posse ob temporis aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quô ad ultimo contrahentes, minui vel augeri.

Et licèt legem ipsam, jam ad contractus celebratos, non extendamus, illos tamen omnes, in quos, sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus, censuræ bonorum Religiosorum subiiciant. & animorum saluti consulant.

Non obstantibus quibuscunq; constitutionibus, & ordinationibus. Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, nec non privilegiis, & literis etiam per quoscunq; Romanos Pontifices, Prædecessores nostros ac etiam Nos, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac quibuscunq; clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, nec non irritantibus decretis, ex quavis causa, etiam per modum legis universalis, aut aliàs quomodolibet editis, sive in favorem Universitatum, Communitatum, Collegiorum, Congregationum, Civitatum, & locorum, concessis, approbatis, & innovatis; quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus, pro expressis habentes, quatenus directè vel indirectè, præsenti nostræ constitutioni, in toto vel in parte contrairent specialiter, & expressè, derogamus: cæterisq; contrariis factis &c. volumus autem &c. hucusq; tenor Bullæ.

Dicta tamen Bulla Pii V. in multis locis & Regnis non est usu recepta, prout in Belgio, & Gallia,

ut

ut refert Lessius in tract: suo, de justitia & jure Dubit: 13. lib: 2. cap: 22.) Nec in Germania, *teste eodem Lessio, ibidem.* Et *Manzius in sua disput: Censuali quæst: 1. nu: 73.*

Nec in Regno Siciliæ. Nam licèt Bullam hanc Pii V. Summi Pontificis acceptârunt. Postposita Bulla Nicolai V. in favorem illius Regni edita, tamen posteadicta Bulla Pii V. abjecta, ad dictam Bullam Nicolai V. redierunt; & ejusdem Bullæ confirmationem, à Gregorio XIII. impetrârunt. Quas Bullas Nicolai Papæ, & Gregorii refert, *Quaranta* in summa Bullarii, sub verbo: Contractus censualis

In qua Bulla Nicolai V. Papæ, conditiones hæ appositæ sunt.

Prima; Ut census constituatur, super aliqua re certa una vel pluribus: vel etiam generaliter, super omnibus bonis, reditibus, emolumentis, juribus, & rebus eorum.

Sed *Gregorius* 13, *reformavit hanc conditionem & statuit:* ut in emptione & venditione census, priùs, unius, vel plurium rerum certarum, super qua, vel quibus census ipse constituatur, expressa fiat mentio; & deinde, si voluerint contrahentes, omnium bonorum in genere, addatur obligatio. Quod & apud nos servatur, ut ex infrà dicendis patebit.

Secunda conditio est, Ut census non excedat decimam partem sortis, seu pretii: *de qua Bulla Nicolai V. Papæ videatur summa Coronæ in secunda parte, tit: de censibus, & Novarius in summa Bullarii parte 1. Com-*

mentatione 48. & *Cardinalis de Luca, tomo* 1. *tract*: 4, *par*: 3. *de censibus discursu* 11.

Quantùm ad Bullam Pii V. in Regno Nostro, saltem inter Personas Ecclesiasticas, in foro Spirituali, observari colligitur ex Synodo Diœcesana Cracoviensi, ab Illustrissimo & Reverendissimo olim Martino Szyszkowski celebrata. *cap*: 48. & *sequenti*. In qua tamen multæ declarationes ibidē statutæ, in praxi non servantur, ùt videre licet.

Quò ad Diœcesim quoq; Posnaniensem Bullam prædictam Pii V. acceptatam fuisse, constat ex Synodo Diœcesana Illustrissimi Andreæ Szoldrski: *sub titulo de Contractibus*: ubi tamen tempus certiorationis faciendæ emptori, à venditore, de reponenda Summa ad sex menses protrahitur.

Et dicta Bulla Pii V. Papæ fuit lata, ut obviaretur usuris, quæ sub contractu possint admitti & committi, ut ex Bulla ipsa manifestè apparet.

Ideo videndum nobis est, de conditionibus ejusdem Bullæ Pii V. Papæ.

Et primò, quò ad conditionem illam, & imponendo censu super re immobili.

Et concludunt communiter Doctores, per illa verba census personales excludi, & prohiberi in futurum: *ita Rota Romana decisione* 86. *post Cencium de censibus*. *Filiucius tractatione* 35. *partis* 2. *cap*: 283. Doctoresq; *ab eo citati, vide eundem, & quæst*: 34. *per totum*.

Nec

Nec obstare rationem contrariæ opinionis quam tuetur *Navarrus*, quòd census vitalitius personalis, passim sit usu etiam Romæ post publicationem dictæ *Bullæ Pii V.* Non esse tamen verisimile, tam publicè & communiter fuisse permissum, si per *Bullam Pii V.* prohibitus esset. Dicitur autem census vitalitius cùm imponitur & venditur duraturus ad incertum & indeterminatum tempus, & ut plurimum ad vitam ementis vel plurium, cum pacto, ut una parte præmoriente, alteri supervenienti, totus & integer census solvatur. Et proinde appellatur contractus vitalitius, quia ad vitam accipientis durat. *de quo videatur Cencius in tractatu de censibus quæst:* 2. *& quæst:* 10.

Nam *Filiucius ubi supra, num:* 285. *Respondet:* Censum vitalitium duplici modo posse constitui.

Primò; Ex ratione census personalis fundati in industria personæ, quæ cùm sit fructifera, potest succedere in locum rei fructiferæ, in qua ematur simile jus ad pensiones ex ea, ut in censu reali.

Secundo modo: Posse constitui ex ratione sponsionis cujusdam, vel contractus innominati, do, ut des, fundati in æquali periculo, & lucro ad arbitrium sortis, & fortunæ, vel incertitudinis vitæ.

Censum itaq; vitalitium priori modo consideratum, fuisse & esse, per *Bullam Pii V.* exclusum, & non esse in usu, quia non habetur ratio, an persona, super cujus vita fundatur, sit fructifera nec ne,

sed

sed absolutè super persona qualibet, & incertitudine ejus, in ordine ad vitam.

Secundo autem modo; Censum consideratum esse in usu non tanquam census personalis, sed tanquam contractus sponsionis cujusdam, vel contractus innominati censetur continere justitiam & æquitatem. *Ita Filiucius, videatur & Gail lib: 2. observ: 7. Bonacina tomo 2. sub titulo de contractibus disput: 4. puncto unico numero 3.*

Et quòd iste contractus vitalitius sit, tam de jure Civili quàm jure Canonico, & tam ad vitam venditoris; quàm emptoris licitus, latè deducit. *Cencius dic: quæst:* 10. ubi istius contractus requisita enumerat: *videatur & Lessius de jure & justitia lib: 2. cap: 22. dubita: 4. videatur & Nevar: in summa Bullarii part: 1. comment: 48. à num: 8.*

Ad hæc per illa verba: super re immobili, voluit summus Pontifex excludere census super rebus merè mobilibus. *Ita Cencius de censibus quæst: 32. considerando clausulam Bullæ (nullo modo) & clausulam. Nisi &c.*

Ampliatq; dicta procedere in quacunq; re mobili, cujuscunq: sit generis, sive sit de illis mobilibus, ex quibus nullus omninò fructus percipi potest quales sunt gemmæ, & lapilli, sive sint de illis, ex quibus percipitur quidem utilitas, sed inde sequitur illarum peremptio ùt est frumentum, vinum, oleum, & his similia; quæ licèt possint esse in statu fructificandi, puta, si vinum, frumentum, oleum, expositum

sit,

ſit, negotiationi (*& ideo Fridericus Martin in ſuo tractatu de jure cenſuali, cap: exiſtimat,* in his poſſe cenſum realem conſtitui) ſive ſint ex ſe moventes, & ex illis poſſint percipi fructus & utilitas, citra ipſarum conſumptionem, & interitum, ut ex equis utilitas equitationum: ſive ſit ipſa pecunia. *Ita Cencius quæſt: 32. per totum.*

Itaq; per rem immobilem hoc loci intelliguntur, villæ, agri, domus, fodinæ metallicæ; molendina affixa terræ, & ripis fluminum, non autem quæ ad inſtar navium, ſuper flumina meant, & quaſi ambulant; cum tales pro mobilibus habeantur, *juxta Cencium quæſt: 29. Novarium in ſumma Bullarii, parte 1. Comment. 48. numero 18.*

Quantùm verò ad illa verba in dicta conditione prima, Bullæ Pii V. appoſita. Aut quæ pro immobili, de ſui natura habeatur fructifera. Notant DD. ſuper ejusmodi rebus cenſum realem poſſe imponi, & conſtitui: id eſt ſuper jure Gabellarum, vectigalium, Officiorum perpetuorum, & aliis juribus perpetuis, in aliqua Civitate manentibus. Cùm ejusmodi jura pro rebus immobilibus habeantur.

Item; poſſe conſtitui cenſum realem ſuper alio cenſu reali: cùm cenſus habetur pro re quaſi immobili, *ut eſt tex: in Clementina Exivi. §. cum annui reditus, ibique Gloſſa tit: de verborum ſignificationibus, ita Novari: in ſumma Bullarii parte 1. Comment. 48. n. 16*

Ut tamen cenſus ſuper cenſu, validè, & licitè conſtitua-

stituatur; requiritur, ut ille census, super quo, alius census fundatur. sit irredimibilis, non autem redimibilis. Seu ùt alii volunt, quod ille census, seu reditus sint perpetui, & saltem habitu, vitam perpetuam habeant. Quia, si non essent perpetui, sed temporales, id est brevi tempore duraturi, pro rebus immobilibus non possent haberi. consequenterq; nec census constitui. *Ita Cencius ubi suprà quæst:* 30. *à numero* 20. *Doctoresquè ab eo citati.* Ratioq; redditur, quia si esset redimibilis, eô sublatô, census in eo fundatus periret. Nisi in hoc casu, venditor, qui secundum in primo fundavit, paratus esset eum in alia re fructifera collocare: aliàs esset nullus. *De quo videatur Lessius ubi suprà, dubit:* 12. *num:* 77. *Bonacina, tomo* 2. *sub tit: de contractibus disput:* 3. *quæst:* 4. *numero* 17. *ubi respondet ad contraria, Filiucius ubi suprà, cap:* 1. *à num:* 286. *Franciscus Leo in thesauro fori Ecclesiastici parte* 2. *cap:* 3. *num:* 7. *Cen: quæst:* 19. *à num:* 12. *& quæst:* 30. *per totum.*

Qualiter autem census novus, super antiquo constitui possit, docet *Cencius quæst:* 31. *ad finem,* ut scilicet Dominus census vendat aliquam partem dicti sui census antiqui. Et quod possit taliter vendi, dicit, *ex Bulla Pii V. ad finem id colligi ex illis verbis.* Hanc autem salutiferam sanctionem, &c. quia per istam venditionem videtur, quasi ad favorē novi temporis, creari novus census ex antiquo: licèt hic non possit propriè & verè appellari, constitutio census.

Hunc

Hunc tamen modum, communis practica observat. *Teste Cencio & Collerio in sua practica censuali.*

Ex dictis itaq; colligitur veriorem esse opinionem, census plures supe uno eodemq; fundo capace, hoc est habente sufficientes fructus pro responsioni: ad omnes pensiones censuum, posse non solùm uno eodemq; tempore, sed etiam ex intervalloi constitui. *Licèt Azorius & Surdus Consilio 318. libro 3. contrarium tenuit, Motus Bullæ Pii V. illis verbis:* Imò & censum augeri & novum creari super eadem, vel alia re ad favorem ejusdem, aut personæ per eum suppositæ, pro censibus, vel præteriti, vel futuri temporis, omnino prohibemus. Quia *Cencius quæst: 39. numero 6. respondet & explicat dicta verba Bullæ Summi Pontificis,* quod per illa verba non prohibeat impositionem novi censûs, super fundo onerato, alio antiquiori censu. Sed duntaxat providere, ne novus census constituatur super eodem fundo, vel alio, pro censibus jam decursis, & non solutis, vel decurrendis, ob quos, nec augeri potest census, antea impositus, nec novus imponi, nec per censuum incrementa, expensionibus censualibus in pauperitatem redigantur debitores censuum, bonaq; sua amittant, sicut ex usuris usurarum.

Nec in tali casu, requiri consensum emptoris primi censûs, quidquid *Azorius parte 3. Institutionum moralium lib: 3. cap: 7. quæst: 2. & Bonacina in contrarium dixerint. Ita Cencius quæst: 36.* Rationem reddens: quia aut fructus illius rei sunt sufficientes, pro

C solu-

solutione pensionum omnium censuum, non est, quod emptori secundi census vitio vertendum sit. Aut non sufficiunt, & non propterea impositio census super fundo alieno, censu onerato, est nulla & invalida. Sed consulitur indemnitati emptoris secundi censûs, per remedia diversa.

Pro quorum meliori resolutione Sciendum est *primò*. Ad validitatem secundi censûs non esse necesse, ut ille fundus sit verè ac realiter capax utriusq; census. Sed sufficere quod tempore impositionis secundi censûs credebatur & reputabatur sufficiens, & idoneus pro solvendis omnibus censibus. *Ita Cencius quæst: 39. num: 6. & quæst: 42. numero 7. Quod confirmavit Rota Romana post Cencium apposita, decisione 6.*

Sciendum *secundò*. Quòd census impositus super fundo, altero censu onerato, eousq; durat, quousq; fundus ille vigore anterioris census irrevocabiliter evincatur. *Ita Cencius quæst: 39. n: 6. & Rota Romana post Cencium, decisione* 548. *n:* 2. Quia tunc resoluto jure hypothecantis, & censum imponentis, resoluta quoq; remanet, & ipsa hypotheca & impositio census, secundo loco facta, & quod taliter resoluto censu, nulli fructus exigi possunt, citra labem usurariam.

Notandum tamen hîc: Quòd juxta Synodum Szyszkovianam suprà à nobis allegatam *cap:* 39. census non possunt constitui in summis quæ in bonis immobilibus seu Terrestribus inscribuntur, ex causa

renu-

renumerationis servitiorum ac meritorum, quia licèt, de jure Regni Nostri, pro immobilibus, ratione dispositionis testamentariæ (hoc est quòd de illis per testamenta non potest disponi) habeantur. Quia tamen hujusmodi summæ, vel ad voluntatem Domini inscribentis; vel post vitam eorum, quibus conceduntur, restitui possunt: ideoq; essent personales census. Tum: quia res ejusmodi, de natura sui non sunt fructiferæ; nec certis finibus, quemadmodum res immobiles circumscribi: nec in ipso actu constitutionis census, numerari possunt, juxta verba & mentem Bullæ Pii V. unde funetraticius contractus esset. Hucusq; verba præfatæ Synodi.

Notandum ad hæc; quòd licèt summus Pontifex, usus sit verbo singulari, hoc est, super re, non tamen inferri potest, quod prohibuerit super pluribus rebus, censum constitui & inscribi, dummodo expressis finibus designetur. *Ita Covarruv. lib: 3. variarum resolutionum cap: 7. num. 6. Navarrus in manuali sub titulo de usuris. Bonacina ubi suprà disput. 3. quæst. 4. num. 15. Gratianus tomo 1. disceptationum forensium cap. 141. Cencius ubi suprà quæst: 401. à num. 12. Rota Romana post Cencium, Decisio: 90. & alii communiter, quidquid in contrarium Azorius senserit.* Ratio redditur; quia lex loquens de una re, habet locum in rebus multis quando eadem ratio est de multis, quæ & de una, *juxta Glossam in cap: si compromissarius, tit: de Electione.*

Ideo autem Summus Pontifex usus est in singulari *Super Re:* ut excludatur constitutio generalis censûs super omnibus bonis præsentibus & futuris (prout apud nos, inscriptiones censûs, sub tali forma, coram Actis sæcularibus concipi solent,) non verò, ut non permittatur in pluribus bonis expressis & designatis, *Ita Navarrus & Bonacina locis citatis, & Gratianus dic: cap:* ,141. Sed de hoc latiùs infrà dicemus, dum agemus de conditione, ut census, in re, certis finibus designata; constituatur.

Quantùm ad conditionem, ut census, in re, ex natura sua frugifera, constituatur. Dico, hanc conditionem, seclusâ Bullâ Pii V. requiri etiam ex natura rei, *ut scripsit Toletus lib: 5. cap:45. bis formalibus.* Necessarium est, ut reddat illos fructus, in quos jus emitur. Si enim non reddit tot, quot venduntur, injusta venditio est, quia venditur quod non est, aut minus eô, quod est. Unde in Bulla Pii V. decernitur, supra rem non reddentem fructus saltem tot quot venduntur: aut reddentem quidem, sed aliis censibus venditos, non licet novum censum imponere ob eandem rationem, quia venditio est ficta.

Is *idem Toletus cap:* 46. *sic scripsit:* Ex natura rei necessarium est; ut sint verè illi fructus, aut expectemus, qui venduntur; vel in quos jus emitur: Unde supra domum fructificantem quinq; aut sex, non potest imponi census, exigendi octo, vel decem, *de quo videatur etiam Filiucius dic: cap:* 2.

Et

Et quamvìs Sotus id voluit non esse, necessarium, sed posse tales census imponi, quamvìs res sit minùs fructifera, putat enim *Sotus* censum imponi super personam directè. Est enim jus exigendi, in personam, res autem potuit esse pignus. Hæc tamen assertio Soti non placet Toleto. Inquit enim ille: Quamvìs crediderim ex natura rei posse imponi censum super personam: tamen isti qui modo fiunt, non sunt hujusmodi, sed super res imponuntur. Vendens enim, vendit jus, quod habet supra fructus.

Cum *Soto*, tamen videtur sentire *Fachineus lib: 2. Controversiarum cap: 43. ut videre licet.*

Sed hanc opinionem *Fachinei* & sequacium *Gutierez lib: 2. practicarum quæstionum, cap:* 177. reprehendit, *Cencius autem ubi suprà quæst: 35. numero 22.* ejusmodi opinionem damnat, ad quos curiosum lectorem remitto. Ratio autem nostræ opinionis; (quòd non tantùm juxta opiniones Pontificias, sed etiam, ex natura contractûs censualis necessarium esse, ut res supponenda censibus, sit ex natura sua fructifera) redditur. Quia naturalis rationis æqualitas exigit; ut tanti valeat res, quod emitur, quanti valet id quod pro eo datur, & è converso: Jam autem illa rationis naturalis æqualitas destrueretur, si non esset fructifera, seu correspondentes pensioni fructus non adferret, illaq; impositio census, nullius valoris esset; cùm ex fundo censui substituendo levari & percipi non possit.

Deinde

Deinde; quia census constituitur in re, ut jus acquiratur percipiendi fructus; seu pensionem ex illa. Unde etiam ex natura rei requiritur, ut sit fructifera. *Ita Filiucius dic: cap: 2. num 282.*

Ratio tertia; quia ad licitè constituendum censum, non est satìs, quod res, super qua constituitur census, possit ex accidenti extrinseco, aliquam afferre utilitatem; sed necesse est, ut sit apta, ferre fructus, secundùm propriam & intrinsecam naturam.

Proinde *Navarrus ubi suprà Filiucius dic: cap: 2. numero* 288. *Cenoius, quæst:* 35 *.num.* 18. *& quæst:* 38. *num:* 6. *& Rota Romana Decis:* 4. *& Decis.* 80. post Cencium, & alii passim volunt, ut res in qua constituitur census, sit ita fructifera, ut ejus fructus vel excedant, vel saltem adæquent pensionem, deductis expensis laboris, & industriæ Ratioq; redditur; quia, cùm jus ad percipiendos fructus venditur, par est, ut res in quibus constituitur census, sint sufficientes ad solvendam pensionem, idq; detractîs expensis. Nam fructus censentur ii, qui supersunt detractis expensis, proinde, si res non ferat fructus, qui sufficiant ad solutionem censûs, videretur fundari in re non fructifera, quatenus reddit minores, & pauciores fructus, quàm sit ipse census. Adduciturq; pro hoc, *textus in L, Quod in fructus ff. de usuris.*

Advertendùm tamen primo; quòd juxta Bullam Pii V. res fructifera, æstimabilis judicanda sit ex fructibus ejus, & non ex pretio, seu valore rei: *vg:* fundus

dus mille aureorum, secundùm æstimationem pretii, est capax septuaginta vel octoginta aureorum census, annui, & secundùm æstimationem fructuum, non est, nisi quadraginta vel quinquaginta, tunc in tali casu non esse necessariã inquisitionem de valore prædii censuarii, sed an reddere possit, tantam vel meliorem quantitatem redituum. Ratioq; redditur præmissorum: quia non res, super qua census imponitur, emitur: sed jus exigendi censum ex fructibus illius. Census itaq; debent regulari à fructibus rei, super qua imponitur. *Ita Innocentius in cap. in Civitate, tit. de usuris, Cencius dic. quæst. 35, 36 & 37 & 38, Franciscus Leo in thesauro fori Ecclesiastici, parte 2. cap. 30. num. 24. Filiucius dic. cap. 2. à num. 289.*

Dixi; attentâ Bullâ Pii V. quia multi tenent; quòd ex natura rei sufficere æstimationem pretii & valoris fundi, *ut Rota Romana decis: 56. post Cencium videatur. Sed Cencius quæst. 92. num. 22. dictam decisionem Rotæ Romanæ vitiô scriptorum esse alteratam deducit ex contextu ejusdem decisionis, videatur & Filiucius ubi suprà, à num: 288. ubi ex doctrina Salas, adfert reconciliationem harum opinionum.*

Advertendum secundò; quòd, dum Pius V. Pontifex. voluit, non posse creari censum, nisi super re fructifera; non intellexit, quod res illa, cum effectu, & realiter fructus ferat; sed solùm quòd ex natura sui sit apta & nata ad fructificandum. *Ita Surdus Concilio 162. num. 18. tomo 2. argumento Legis, sylva*

cædua

cædua, ff. titulo de verborum significatione, & cap. quid per novale, eodem titulo. Novarrus, in commentario de usuris, cap. 1. num. 117. Cencius, quæst. 35. numero 10. & num. 14. ubi subjungit: Non esse necesse: quòd, fundus, super quo census constituendus est, quolibet anno, ferat fructus, sed satis esse, quòd illos feferat singulo biennio, vel alio tempore, ad eum effectum, ut super eo census legitimè collocari possit. Siquidem, non est necesse, ut id, ex quo census, venditur, eodem omnino annô, quo est pensio solvenda: pariat utilitatem; sed satis esse, ut ex fructu illius, unde census venditur, possit statis temporibus solvi pensio. *Ita etiam Georgius Valent. tomo 3. disput. 5. quæst. 22. de Censibus, pun. 2. & Bonacina, sub titulo. de contractibus, disput. 3. quæst. 4. pun. unico, num. 20.*

Similiter; si aliqua res sit apta & nata de natura sui ad fructus ferendos: licèt aliquando, ob negligentiam Domini non ferat fructus: poterit nihilominus super ea licitè census constitui, correspondens tamen fructibus, qui ex ea percipi possunt. *Ita Cencius, dic. num. 10.* Ideò autem Summus Pontifex voluit censum constitui super re quæ fructus reddat, ad tollendam occasionem usurarum, ne ex mutuo lucrum percipiatur. *Ut innuit Rota Romana post Cencium, decis. 31.*

Quæret aliquis primò; An impositio census super fundo non capace integri census, sit in totum nulla, vel duntaxat, quò ad eam partem & ratam pro

pro qua, fundus suppositus censui non potest onus annuæ pensionis supportare?

Et respondeo: communem esse Doctorum resolutionem: quòd ejusmodi impositio, & venditio census, pro ea parte sit tantùm nulla, pro qua fructus non sufficiunt: salvo remanente contractu, & impositione census, pro ea rata, cui fructus rei suppositæ correspondent, & quàm fundus subjugatus supportare potest. *Ita Cencius, quæst. 36. per totum.*

Quæret secundo, an si census impositus sit super re incapaci, emptor possit annuam pensionem, licitè recipere & exigere? Cōmuniter Doctores distinguunt. Aut emptor tempore impositionis & emptionis census sciebat de ista incapacitate: aut penitus ignorabat, quia communiter reputabatur ille fundus capax, nec aliquo onere gravatus; vel venditor firmiter asserebat, eundē fundum esse capacem, & ab omni onere liberū. In primo casu dicunt, quòd emptor nō potest exigere & percipere: & si perceperit, tenetur ad restitutionem: ob rationem, quia aut illas pensiones exigere, vel percipere vult respectu contractus initi, & non est ei licitum: quia contractus talis, est nullus, invalidus, illicitus, uti personalis, consequenter usuram redolens.

Aut ratione interesse; quòd venditor teneatur de evictione & itidem non posse, quia emptor sciens, & volens eam comparavit, & emit: ideoq; venditor non est causa illius interesse; & intrat regula: *volenti non fit injuria.* D e Be-

Bene poteſt agere ad reſtitutionem pretii numerati: aut ut in illa re æquè idonea inſcribat cenſum: quia aliàs venditor locupletaretur cum jactura alterius.

Requiritur tamen, ut dicta ſcientia ſit certa, perfectèq; ac concludenter probata. *Ita addens ad Decisiones Rotæ Romanæ, Decis: 542. parte 4. Recentiorum, & Cardinalis de Luca, diſcur. 51. num. 5.*

Aut emptor cenſus, ignorabat rem eſſe incapacem & inſufficientem ad perſolutionem cenſus impoſiti: & poteſt recipere & exigere penſiones: nec tenetur ad reſtitutionem perceptarum. Quia licèt non abſit ſubſtantia cenſus, atq; ita non poſſint exigi penſiones annuæ: nihilominus venditor, celans vitium, tenetur ad intereſſe, & damna. Iniquum enim eſſet, debitorem mendacem & doloſum, hac ſua malitia & circumventione, lucrum, & commodum reportare; damnumq; ac præjudicium emptori innocenti inferre. *Ita Navarrus ubi ſuprà, à numero 118. Leſſius dubitat: 12. Cencius quæſt: 36. & 34. Cardinalis de Luca, tomo 1. tractatu 4. parte 3. de cenſibus, diſcur: 13. & 31. Rotà Romana, apud Ludoviſium deciſ. 88. ibi addens.*

Ampliaturq;. Etiamſi emptorq; ſuperveniat ſcientia de ejusmodi incapacitate. *Ita Card: dic. diſcur. Luc. 13. num: 17.* Qui ſic inquit: Eſtq; verũ: quamvìs deinde eidem Creditori ſupervenerit hujusmodi ſcientia, quoniam hæc non impedit curſum prædictorum anno-

annorum & intereſſe, cùm ex magìs vera & recepta opinione, ſufficiat eum ab initio fuiſſe in bona fide: ita, ut dici non poſſit, voluiſſe contrahere cenſum perſonalem, ſeu mutuum uſurarum ſub hoc nomine palliatum, ex deductis per *Cencium, quæſt:* 42. *Rotam Romanam, poſt eundem Cencium, Deciſ:* 549.

Nec obſtare dixit *is idem Cardinalis de Luca loco citato*, (prout per informantes tunc illatum fuit.) Quòd, licèt ſuperveniens ſcientia incapacitatis fundi, ac nullitatis censûs non impediat curſum fructuum, locò damnorum, & intereſſe, adhuc tamen cùm ob ejusmodi defectum jam detentum, aperta eſt creditori urgendi debitorem, ad ſortem principalem, ſeu pretium numeratum reſtituendum: & multo magìs ubi creditor, actionem prædictam ad effectum deduxit: tunc illico ceſſare curſus fructuum, qui dari non debent ad favorem creditoris, in cujus arbitrio poſitum eſt, ſortem principalem, ſeu pretium numeratum repetere, *ùt dixit Rota Romana, poſt Cencium, deciſione* 182. *& in aliis apud eundem relatis.*

Nihilominus licèt Rota Romana antiqua inhærendo ſententiæ *Navarri & Bonacinæ*, & aliorum, ita ſentientium, attamen maturiùs deinde diſcuſsò articulo, à tali ſententia receſſit, ita ut etiamſi creditor petat ex dicta & alia cauſa reſtitutionem ſortis: quinimo etiamſi mandatum executivum pro ea obtineat, adhuc tamen donec ſequatur retro ſimilis illius reſtitutionis, vel ſaltem, nisì repetibilitas ſit

certa: & in libera voluntate creditoris existens, non debet interim cursus fructuum cessare ex ea ratione: quòd multa contingere possunt, ob quæ dicta restitutio effectum non sortiatur: atq; adhuc in potestate debitoris repositum est, illam facere irrepetibilem: subrogando puta alium fundum æquè idoneum ac capacem, quod quandoq; etiam post relaxationem mandati admittitur: *Ut per Gregorium XV. decis.* 295. *num.* 5. ideoq; contrarium sæpissimè tentum fuit, atq; hoc jure vivitur in Curia, *ex deductis decis.* 643. *post Cencium & decis:* 278. *parte* 5. *Recentiorum. Addens ad Burattum Decis.* 645. *num.* 13. Et priùs quando contraria opinio regnabat, bene sensit. *Mariscotus lib.* 2. *variarum resolut. cap.* 61. *n.* 8. *& habetur plenè deductum in Romana Reviscentiæ censuum sub tit. de Feudis, ad materiam Baronum, discur.* 81. ubi licèt sors reducta esset ad purum creditum pecuniarum quandocunq; repetibile ad libitum creditoris, ita ut non daretur casus, quod impediri posset, adhuc tamen, licèt fortè parum probabiliter, fructuum cursus decretus fuit &c. *Hucusq; verba Cardinalis de Luca, qui videatur & Discur:* 31. *ibidem.*

Ex dictis infertur 1mo: quod emptio fundi super quo impositus est census, non debet rescindi, propter illud onus, sed emptor potest agere contra venditorem censûs, vel ut dictam rem ab illo onere eliberet, *vg.* transferendo in alia bona libera: vel ut sibi pretium numeratum restituat, & etiam ad inte-

resse & damna. *Ut scripsit Navarrus dic: quæst: 27. numero* 118. *Cencius dic. quæst.* 42. *à num.* 14. *& alii Doctores suprà allegati.*

Unde etiam Rota Romana *Decisione* 350. *parte* 2. *Recentiorum num.* 2. *scripsit:* Censum impositum super re non capace adhuc sustineri, quando imponens habebat alia bona. *Videatur latiùs Cencius quæst:* 37.

Infertur 2dò. Quòd emptor census, nō potest petere restitutionē pretii dati, licetsi res illa onerata sit aliis obligationibus prioribus; si sufficiens sit res illa pro solutione census per illam empti. *Ita Cencius dic: quæst:* 42. *num.* 22. *Rota Romana decis:* 506. *post eundem Cencium.* Aliàs, si non esset sufficiens pro omnibus oneribus & censibus, intraret regula juris; qui prior tempore, potior est & jure, *cap: qui prior de Regulis juris in sexto,* atq; ita prior emptor præferendus esset secundò, *ita Filiucius, ubi suprà, cap:* 2. *num:* 299.

Infertur tertiò; quòd emptor census non potest pactum inire cum venditore: quod venditor census, casu quo res censui subjecta detegatur non esse libera, sed alicui oneri obnoxia, venditor nihilominus censum persolvere teneatur. *Ita Cencius quæst:* 42. *n.* 3. *Navarrus dicto numero* 118. *quæst:* 28.

Id quoq; notandum, quòd impositio census, in dubio præsumitur esse valida, quamdiu defectus illius non probetur. *Ita Rota Romana decis:* 219. *parte* 2. *Recentiorum, & decis:* 96. *post Cencium, & apud Ludovisium decisione* 355.

Quan-

Quantùm ad conditionem illam Bullæ Pii V. ut census imponatur super re certa, hoc est certis finibus, nominatim designata.

Dico primò: Attentâ Bullâ Pii V. ad validitatem contractus censualis (de quo loquimur) necessariam esse expressionem rei nominatim certis finibus resignatæ, prout id patet ex verbis ipsius Bullæ, Aliàs, non facta designatione finium rei subjugatæ; sed simpliciter imponendum censum, super omnibus præsentibus & futuris, impositionem & inscriptionem esse nullam censûs; tanquam factam contra præscriptam formam in Bulla. *Ita Navarrus ubi suprà numero* 86. *Novarinus loco infra citando, & alii Doctores quorũ opinionẽ Rota Romana multoties canonizavit, ùt in decis:* 88. *post Cencium, quas refert Cencius quæst:* 40. *nu-* 22. *quibus addo Cardinalem de Luca, ubi suprà discursu* 7. *ubi subjungit:* quod specificatio confinium, ex intervallo, & non circa impositionem & confectionem instrumenti: sufficiat.

Sic etiam satìs fit Bullæ, si census impositus & inscriptus, super aliqua domo, prædio, horto, & similibus in Civitate *vg.* Posnaniensi, non specificatis confinibus, & imponens solùm illam domum prædium, hortum & similia in eadem Civitate, vel loco habuit. *Ita Gratianus tomo* 1. *disceptationum Forensium cap:* 541. *numero* 24. *Cencius dic, quæst:* 40. *numero* 14. *ubi plures decisiones Rotæ Romanæ adfert.*

Idq; amphat *Gratianus loco citato*, allegando deci-

decisionem Rotæ Romanæ, coram Cardinale Millino, quæ est post Cencium *decis.* 94. *videatur & decisio* 353. *parte* 1. ubi decisum erat, quòd satisfactum sit Bullæ Pii V. quamvìs constaret, imponentem habere alias domos extra Civitatem, in qua fuit census celebratus: quia in dubio, intelligitur impositus super domo existente in loco contractûs. *Idem sensit & Novarinus in summa Bullarii, parte* 1. *Comment.* 84. *num.* 35. Ratioq; præmissorum redditur; quia ex quo imponens, non habuit in illo loco aliam *vg.* domum, illa generalis expressio habet vim specialis & individuæ demonstrationis finium: & verificatur intentio Bullæ, quæ hanc formam induxit ad effectum, ut possit constare de peremptione rei, super qua impositus est census, cujus periculum spectat ad emptorem: ùt infra dicemus. Tum, quia impositio censûs potest probari aliter, quàm per instrumentum impositionis censûs, *vg.* per testes, confessionem imponentis, tam judicialem, quàm extrajudicialem, *vg.* in testamento, & per aliud genus probationis. *Ita Cencius, quæst:* 40. *numero* 36. *& quæst:* 43. *num.* 15. *ubi latè id deducit. & ita tenuit Rota Romana, decis:* 96. *numero* 12. *decis.* 100. *decis.* 112. *& sequenti post Cencium.*

Imò ad hujusmodi probationem faciendam, maximi momenti esse præsumptiones & conjecturas, si fiant plures & urgentes, & aliàs sit difficilis probatio illius. *Ita scripsit Cencius quæst:* 43. *num.* 32. *ubi refert, ita pluries tentum fuisse à Rota Romana.*

Inter

Inter quas præsumptiones & conjecturas prō urgenti & illam haberi dici, quæ elicitur ex eo, quòd Dominus census probet sibi fuisse solutas annuas responsiones in præteritum. Nam (inquit ille) observantia resultans ex solutionibus fructuum censûs, magnam habet vim ad renovandam suspicionem nullitatis censûs. *ut etiam tenuit Rota Romana: dic. decis. 96. & decis. 10. post tractatum de censibus Cencii*, nemo enim præsumitur jactare sua, *ut habetur in L. Cùm de indebito, ff. de probationibus.*

Illud tamē quod dictū est; ex assertione imponētis probari censū, id procedit in præjudiciū assertētis, nō autē in præjudiciū tertii, nisi cōcurrāt aliæ cōjecturæ. *Scripsit Gratianus tomo 1. Disceptation: forensium, cap. 22.*

Nec obstant verba Bullæ Pii V. Quòd circa impositionem censûs requirat confectionem instrumenti; Quia respondetur à Doctoribus, Summum Pontificem, non per hoc voluisse coarctare probationem, ut non possit aliter probari, nisi per instrumentum: sed solùm constituisse habito respectu ad id, quod communiter fieri soleat; nam à communiter accidentibus, super creatione & venditione censûs, confici consueverunt instrumenta publica, manu publici Notarii: & leges aptari debent ad ea; quæ frequentiùs accidunt. *L. nam ad eà ff. tit. de Legibus. Ita Cencius quæst. 43. & Rota Romana dic. Decis. 100.*

Oritur hic quæstio inter Doctores: si censûs imponatur super uno fundo, & certis limitibus designato & circumscripto, cum appositione clausulæ gene-

generalis, & ſuper omnibus & quibuscunq; bonis aliis, an talis impoſitio & inſcriptio cenſus, poſt Bullam Pii V. ſit valida? Rota Romana aliquoties affirmativè reſpondit. Imprimis *decif.* 317. *poſt tractatum Cencii, de Cenſibus.* *Item decif.* 285. *in noviter noviſſimis, ad hæc, in deciſ.* 97. *poſt Cencium.* Mota ratione, quia trita regula juris quod utile, per inutile vitiari non debet, *ut habetur in cap. utile de regulis juris in ſexto lib. Decretalium.* Tum, quia illa verba, ſuper omnibus & quibuscunq; bonis, ex abundanti adjecta eſſe cenſeantur; videlicet, pro faciliori exactione cenſus: & pro ſecuriori ſolutione ejus. Quod autem ex abundanti imponitur, obeſſe non ſolet, *ut habetur in L. Idem* §. *Procuratori. ff. tit. de negotiis geſtis & in L. Non ideo. Cod. de teſtamentis.*

Sed poſtea contrarium ſenſit, eadem Rota Romana, in quadam deciſione Argentina cenſus, *quam refert Cencius quæſt.* 41. *num.* 2 In qua deciſum fuit: quòd taliter cenſus impoſitus ſit illicitus. *Et hanc contrariam opinioncm Navarrus ubi ſuprà, Bonacina in tract. de cenſibus parte* 2. *num.* 67. *& alii DD. tenent.*

Cencius itaq; dicta quæſt. 41. *num*7. .Conciliando prædictas deciſiones Rotæ Romanæ, dixit: verba, illa, ſuper omnibus bonis præſentibus & futuris, dupliciter poſſe concipi.

Primò; quòd cotrahentes voluerunt jus reale, ad percipiendum cenſum in illo fundo expreſsè ſpeci-

cificato, & certis finibus designato, imponere: in aliis autem bonis solùm simplicem hypothecam, pro faciliori exactione censûs, & executione solutionis, durante illo fundo specialiter designato: atq; ita ut pereunte illo fundo, extinguatur hypotheca illa in aliis bonis generaliter obligatis.

Alio modo posse concipi. Ut jus reale percipiendi fructus non solùm fundetur in fundo specificato, sed etiam in aliis bonis: atq; ita, ad perpetuandum censum; hoc est: quod perempto illo fundo expresse designato, in bonis illis generaliter positis, remaneat jus reale, exigendi censum impositum.

Hoc præmisso *Cencius scripsit*: In primo conceptu primam opinionem procedere. In secundo autem conceptu, & intelligentia, posteriorem opinionem subsistere. Atq; se etiam declaravit ipsa Rota Romana, coram justo Auditore Rotæ Romanæ in Romana pretii Palatii, quæ est in ordine 80. *post Cencium.* Similiter & *Filiucius dic: cap*: 2. *num.* 292. *in illis verbis:* Ex quo etiam sequitur non posse constitui super re certa, cum additamento, & super cæteris rebus vendentis censum, etiam futuris, quia similiter reijcietur periculum census in venditorem; *videatur & Navarrus de usuris num.* 129. *& sequ: Molina & alii Doctores.*

Si tamen dicta particula adderetur solùm per modum Hypothecæ, ad securitatem solutionis pensionum, dum census durat; non autem ad hoc; ut destru

destructa re subjecta censui substituantur cætera bona, sic satìs probabile est: non prohiberi post Bullam Pii V. *Ita & Salas dubio 7. difficultate 3. num.* 11. *docet.* Unde censum constitutum super una re, assecurari posse super aliis bonis venditoris, duplicem sensum habere potest.

Primus: ut res cæteræ obligentur ad solutionem census duraturi, dum res illa, in qua est constitutus duraverit: & similiter perituri, pereunte illa re in qua est constitutus.

Secundus sensus: ut cæteræ res obligentur ad solutionem census etiam duraturi pereunte re, super quam est constitutus.

Primò; ergo modo, possunt illa verba adijci, non autem secundo. *Hucusq; Filiucius loco citato, atq; ita intelligendam esse censet Rotam Romanam, Decis.* 285. *in noviter novissimis, & post Cencium decisione* 103. *dum inquit:* Non obstat, quòd census in defectu aliorum bonorum fuit generaliter impositus super omnibus bonis, quia non ideo redditur nullus, cum impositus fuerit super certis rebus, licèt pro illius securitate, in defectu illarum fuerit impositus. *Hucusq; Rota ibidem.*

Subjungit insuper *Filiucius loco citato num.* 294. Hypotheca, in censu reali locum habet etiam post Bullam Pii V. ad eventum, ut evicta re, in qua fundatus est census, Dominus census agat, ad interesse, contra venditorem, & securius id obtineat: non au-

tem ad effectum, ut ea pereunte, alia substituatur. Ad pensiones autem obtinendas interim, dum res censui subjecta manet incolumis, licèt non esset illicitum, est tamen res superflua, cũ satìs sit ipsamet res.

Movent secundò dubium Doctores: An census creari possit super domo extruenda pecuniis ad censum traditis ita; ut de tempore creationis census fundus censitus fructifer & capax non sit in rerum natura. Hanc *quæstionem Cardinalis de Luca ubi suprà discur. 7. tractat. & affirmativè resolvit.*

Dico 2dò; Etiam post Bullam Pii V. posse censum imponi super pluribus rebus, expressis omnium vocabulis & confinibus, ita communiter tenent Doctores, & Rota Romana, ut suprà circa explicationem conditionis: ut super re immobili collocetur: scripsimus.

Dico 3tio; Ante Bullam Pii V. attentîs Bullîs Martini V. & Calixti III. Summorum Pontificum, licitè poterat constitui census, generaliter in omnibus bonis venditoris census. *Ita Covarruvias ubi suprà, cap. 7. num. 5. & Rota Romana, Decis. 92. num. 8. decis. 97. post Cencium. & Decis.* 81. *quæ est in noviter novissimis decisionibus, decis.* 328. Licèt *Cencius, quæst. 40. num. 24. Surdus lib. 3. Consil:* 318. *num.* 12, ut alii, valde probabiliter & conformiter ad Bullam dicti Martini V. contrarium tenuerint, moti verbis ejusdem Bullæ quæ talia reperiuntur. *Bonis, in ipso contractu, tunc expressis pro ipsius census annui exsolutione in*

perpe-

perpetuum obligatis. Et quamvis in Bulla Calixti III. aliter videatur] expressum, in illis verbis, *super eorum bonis, domibus, agris, prædiis, possessionibus & hæreditatibus*: Quia tamen, is idem Calixtus, approbavit Bullam Martini V. (ideo videtur illam approbâsse in omnibus punctis) proinde juxta mentem, eorundem Pontificum videtur esse probabilis hæc opinio.

Sed quia Rota Romana, priorem opinionem canonizavit, nescio quomodo sit ab illa recedendum. Siquidem decisio Rotæ Romanæ habet vim communis opinionis. *Ut scripsit Ridolphinus in praxi recentiori Curiæ Romanæ, parte 1. cap. 2. num. 54.*

Proinde dicti Doctores inferunt: quòd, si ante Bullam Pii V. census fuit impositus, super certis & specificatis bonis, cum clausula generali: & super omnibus bonis &c: si bona specificata non sufficerent pro pensionibus solvendis, posset fieri recursum ad illa contractumq; ejusmodi esse validum.

Hinc in Germania consuetudine receptum esse: censum, tam super certis; quàm super incertis rebus, imò & super personali obligatione validè constitui, *testatur Gail lib. 2. observ. 7. num. 13. Gachineus lib. 2. Controversiarum cap. 44.*

Dico 4tò. Impositio census super universitate omnium bonorum, absq; aliqua specificatione confinium eorundem bonorum, non repugnat juri naturali, vel divino. *Ita Covarruuias dic: cap. 7: num. 5. Navar-*

Navarrus ubi suprà Azorius in Instit. moralibus parte 3 lib: 10. *cap.* 5. *& alii Doctores.* Fundamentum hujus opinionis est: Quia Nicolaus ejus nominis Papa V. in sua constitutione promulgata, in gratiam Alphonsi Regis Aragoniæ, concessit: ut insulæ Siciliæ, & Regni Neapolitani possent constituere censum; super omnibus bonis imponentis. Si autem talis impositio census, repugnaret juri naturali vel divino; Summus Pontifex eam non approbâsset: cùm jus naturale, & divinum sit immutabile. *Ut habetur in can: Pensandum* §. *his, itaq; distin:* 6. *& in* §. *finali in Instit, Civilibus lib:* 1. *tit: de justitia, & jure naturali gentium, & Civili.* Ergo.

Advertendum tamen; Quòd Gregorius XIII. ejus nominis Papa, approbando dictam Bullam Nicolai V. addidit hoc: ut in censuum emptione & venditione, priùs, unius vel plurium rerum certarum, super qua vel super quibus, census ipse constituatur expressè; & deinde, si voluerint partes contrahentes, omnium bonorum in genere mentio fiat in futurum. Ex quibus verbis Gregorii XIII. colligitur: quòd ad validitatem illis Regnis requiritur priùs specificatio certæ rei censui suppositæ: & deinde generalis clausula. Et super omnibus bonis &c. atq; ita videtur, quòd census, non possit simpliciter imponi in omnibus bonis præsentibus & futuris, habitis vel habendis.

Quæret aliquis, si census impositus sit, super

aliquo fundo certo, & iste fundus postea dividatur inter plures hæredes, vel successores: vel si census impositus super pluribus fundis, prædiis, domibus, &c. & isti fundi ad plures possessores perveniant, an à singulis possessoribus, Dominus census, possit totum censum ab uno exigere, vel pro rata, & quantitate rei possessæ, contra singulos possessores actionem intentare? Qui casus frequenter in judiciis meo tempore accidit, & agitabatur. Et respondeo, circa hanc quæstionem, maximam discordiam inter Doctores esse.

Covarruvias lib:3. variarum resolut: cap:7. num: 8. opinionem affirmativam tenet & tuetur: videlicet censum exigendum esse à singulis possessoribus pro rata, & quantitate rei censui subjectæ possessæ. Pro qua opinione *allegat textum in capite: constit: tit: de Religiosis domibus,* ubi habetur: quòd quidam Episcopus Albanensis respectu jurium Episcopalium, ab Ecclesiis in sua Diœcesi existentibus; & ab Abbatem, Monasteriumq; Crypæ ferratœ, respectu juris Patronatus pertinentibus imposuerat pensionem: ut ex dictis Ecclesiis, octo denarii usuales sibi persolverentur. Itaq; Summus Pontifex statuit, ut dicta pensio, juxta ratam, quæ contingit aliquam Ecclesiam, solveretur. Unde *Covarruvias dicit* hoc speciale esse, in hypotheca censuali, & per hoc differre à hypotheca ordinaria, quæ solet apponi in genere, erga alia bona constituentis reditum, præter illa, ad quæ speciatim

fuerit

fuerit constitutus. Hanc opinionem *Covarruviæ amplexi sunt, Rebellius in tractatu suo, de oblig: lib:19.quæst: 6. num:2. Ludovisius, Velasquez, Avendo in suo tracta: de cens: cap: 23. num: 10. Joannes Baptista Madin, in suo tract: Censu: quæst:12. num: 13. Gvido Pap: quæst: 432. num. 4. & alii.*

Rationem adfert *Joannes Baptista Madin*; quia, si creditor census posset in solidum convenire quemlibet possessorem, resultâsset unum absurdum, contra Bullam Pii V. videlicet: quòd si periret res vel infructifera fieret pars alterius possessoris non conventi, nihil creditor sentiret de damno; prout sentiret, si convenisset singulos fundi possessores: conveniret etiam illum possidentem partem deperditam, vel factam infructiferam: & sic pro ea rata, damnum sentiret.

Contrariam opinionem tenuerunt, *Navar: in suo Comment: de usuris, quæst: 17. num: 114. eum secutus Follerius, in sua practica censuali; in verbo: Hujusmodi, numero 116. Rodoanus in suo tractatu de rebus Ecclesiæ non alienandis, sub titulo de Constit: annualis census, quæst: 17. num: 69. Ubi ex Covaruvia dicit hanc opinionem in puncto juris esse veriorem. Item Gratianus tomo 1. disceptationum forensium, cap: 141. num. 3. ubi de communi testatur. Lessus ubi suprà, dubita: 12. num. 89. Paulus Merenda, Consil. 63. parte 2. Molina ubi suprà, disput: 383. num: 9. & alii plurimi Doctores.*

Fundamentum hujus opinionis est; Non esse ratio-

rationi consonũ, ut facto debitoris, censûs, dividentis fundum censuatum, mutetur obligationis conditio, cujus vigore, ipse, ad totum censum persolvendum totaliter tenebatur.

Allegaturq; pro hac opinione *textus juris Civilis, in L. 2. §. Ex his ff. de verborum obligat. ubi dicitur,* In persona hæredum, condicto obligationis non commutatur, ex qua lege inferunt; quod sicut multiplicatis hæredibus, non debet conditio creditoris deterior fieri: ita etiam multiplicatis possessoribus rei censuatæ.

Allegatur secundo, *Textus juris Civilis, in L. Moschis ff. de jurefisci quem text. Glossa, & Bartolans sic explicant.*

Si sunt plures possessores alicujus, rei hypothecatæ creditor potest obligare quem voluerit, pro toto suo debito. Et hanc explicationem *Guido Papa loco citato admittit subjungens:* Ita servari in Curia Parlamenti Delphinatici, & similiter in omnibus aliis curiis Patriæ suæ, tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus.

Quamvis *Covarruvias loco citato dictum textum aliter explicet: trahendo in opinionem suam ut videre licet apud eundem.*

Allegatur tertio; *text. in L. Hæreditariam, ff. de evictionibus, ubi dicitur?* Quod hypotheca est individua.

Præter jura allegata adferuntur, Rationes.

Prima; qua Dominus census cogeretur cum plu-

ribus rerum censui subjectarum possessoribus litigare; & à pluribus separatim solutiones particulares recipere, maximo cum discrimine, & gravissimis expensis, quod repugnat æquitati.

Ratio secunda; Quia, si Dominus census conveniret singulos possessores, pro rata, & quantitate rei possessæ, sequeretur, quod si aliqua pars periisset, & in fructuosa remansisset, possessores aliarum partium denegarent solutionem pro illa re deperdita, vel infructuosa existente, sed quilibet; solum pro rata sua vellet persolvere; quod esset contra dicta supra à nobis: ubi diximus, juxta communem opinionem Rotæ Romanæ, si pars fundi censuati, in parte pereat, vel in fructifera remaneat, nihilominus Dominus census, possit ex aliis partibus fundi censuati totum censum repetere, si essent sufficientes ad persolutionem integri census.

Ex quibus rationibus, non video meo vili judicio cur opinio Covarruviæ sit æquior, (ut ipse appellavit.)

Placet itaq; mihi conciliatio harum opinionum, *à Cencio quæst:* 89. *num*: 4, *allata, ubi duos casus ponit.*

Primum, Quando quælibet pars fundi censuati per singulos possessa: vel alter ex pluribus fundis censui subjungtis, penes aliquem existens non reddit tot fructus, qui sufficiant ad solutionem integri census.

Alterum casum ponit. Quando, ex dicta parte fundi

fundi censuati vel uno, ex dictis pluribus fundis penes unum existente percipiuntur, vel percipi possunt tot fructus, ex quibus exigi possit solutio totalis census.

In primo casu; magis ipsi placet opinio, *Covarruviæ & sequacium* utpote, quæ magis conveniat naturæ contractus censualis, cum etenim (inquit Cencius) tempore constitutionis census, sive constituatur super uno fundo, sive pluribus, census tamen limitibus circumscriptis, semper debuerit haberi ratio respectûs, ut vel ille fundus, vel illi plures simul uniti, essent capaces totius & integri census imponendi (ut disponitur in Bulla Pii V.) utiq; illo fundo, vel pluribus illis ad diversas personas translatis, satis est veri simile, quod non quælibet pars illius unici prædii, nec quodlibet prædium ex pluribus, sit capax totius census annualis impositi. Et ideo, si possessor partis prædii censuati, vel unius ex pluribus prædiis suppositis censui, tenetur, vel cogi posset ad solvendum integrum censum, sequeretur: quod posset conveniri ultra vires, & census solveretur, quasi ex obligatione personali contracta, per acquisitionē fundi obnoxii. Quo casu, duo singularia concurrent; unum: quod quid teneretur personali actione, absq; suo contractu, quod est à regulis juris alienum, *ut habetur in L. Licet, §. ea obligatio, ff. tit. de Procurator.*

Alterum; quod census deberetur ex personali

obligatione, quod est contra naturam & substantiam contractus censualis; & omni jure prohibitum.

In secundo casu; existimant opinionem secundam esse veriorem ob rationem. Nam census non imponitur, super aliqua parte fundi, sed super toto fundo, tanquam super uno toto integrali: & non considerantur singulæ ejus partes per se destinatæ & separatæ: non est itaq; absurdum, quod is qui possidet tantam partem fundi: quæ possit supportare onus integri census, possit cogi ad solutionem totius census. *Ita Cencius ubi suprà, ubi pleniùs hanc materiam tractat.*

Facit etiam, *quod Cencius quæst: 41. num: 20. & Rota Romana, Decis: 72. scripserunt.* Censum impositum, super pluribus fundis æqualiter capacibus, & idoneis, ad supportandum onus census; censetur æqualiter super omnibus impositus, seu quodlibet prædium intelligitur, pro sua æquali portione oneratum. Quodsi, ex dictis prædiis unum esset capax, & idoneum, aliud verò prædium minus capax, & idoneum: tunc totum censum sustineri super idoneo, & capaci: quatenus illius fructus, satis esse possunt, ad solutionem integri census.

Sic etiam, *Rota Romana Decis: 156. num: 5. post Cencium definivit.* si census impositus fuerit super pluribus fundis, deficiente uno fundo, censum remanere validum super aliis; & maximè dicta, absq: aliqua difficultate procedent: si in venditione census, appositæ

sitæ sint clausulæ conjunctim: & in solidum, aliæq; similes, & licèt hæc conciliatio à Doctoribus sit recepta, tamen aliquoties vidi, apud Nos, *juxta opinionem Covarruviæ* fuisse pronunciatum.

Bonacina autem in dicto §. *unico, num*: 38. *& in* §, 4. aliter distinguit aut censuarius seu Dominus censuati vendidit illum fundum, admonito censitore seu Domino censûs; aut illo non admonito. In primo casu admittit opinionem Covarruviæ & ejus sequacium hoc est; quod Dominus censûs, debeat à singulis possessoribus exigere censum ad ratam: non autem à singulis in solidum.

In secundo autem casu, dixit, quod censitor, possit totum censum exigere à censuario. Rationemq; reddit, quia æquitas, non postulat, ut censitor, ob culpam censuarii, reportet in eo modum, & difficultatem exigendi censum à multis.

Ad dicta faciunt ea quæ *scripsit Afflictus in Decis* 153. *ibiq; Addens*: quod si hæredes Emphiteutæ diviserunt inter se Rem Emphiteuticam, & unus illorum solvit pro parte sua canonem, alter autem non, in tali casu, tota res Emphiteutica incidit in commissum: ob rationem suprà positam: quia facto hæredum, non debet mutari obligationis primæ conditio, *ut habetur in di- L.* 2. §. *ex his ff. de verborum obligationibus.*

Quod tamen limitatur, nisi Dominus directus consensit dictæ divisioni: quia sibi præjudicavit ad

hoc:

hoc: quòd si unus solvit suam partem, & alter non solvit statuto tempore, solùm pars non soluens incidat in commissum, non autem pars alteriùs non solventis.

Non tamen contrarius sum, quin judex, citato possit dare dilationem ad conferendum cum cæteris hæredibus, vel Possessoribus fundi censuati: ut ipsi inter se conveniant, de solutione census, & si essent discordes, posset Iudex citatum condemnare ad solutionem integri census, respectu cujus ageretur; nihil definiendo, quantum quisq; possessorum debeat concurrere ad solutionem, pro rata, & quantitate rei possessæ.

Sed hic oritur aliud dubium; an si Dominus census aliquem ex possessoribus fundi censuati: ad judicium, post solutionem integri census, an pars citata non esset sufficiens ad exsolvendum totum censum: præjudicet sibi, per istam electionem, ut contra alios possessores, respectu residui non valeat agere. Ad quod dubium respondeo cum *Cencio dic: quæst:* 80. *numero* 11. Ratio redditur, Quia ob unius debitoris vel possessoris electionem, non est præclusa via, quoad alios; quin etiam contra illos, possit de suis juribus experiri, *ut habetur in L. Reos*, & *in L. Generaliter*, §. *Itemq; Cod: tit: de fidejussoribus, ibiquè Glossa & Doctores.*

Oritur aliud dubium, si Dominus molendini destruxit molendinum aptum ad molendum frumentum,

tum. super quo erat census impositus, & collocatus; ex ea ratione, quod aqua, quæ ad præfatum molendinum, per canales & fistulas ducebatur, solitum cursum mutaverit, & alio fluere injunxerit; & cum eadem mola, aliud molendinum, in alio loco proprietatis suæ ædificet, & per eosdem canales & fistulas ad illud novum molendinum, aquas alias ducat, an censcs, per ejusmodi mutationem, solutio census & prætium ejus extinguatur: illudq; factum Domini noceat emptori census fundus? Ad ejusmodi dubium non conveniunt Doctores. *Navarrus ubi suprà numero* 118. *& alii relati à Cencio quæst*. 101. *num*. 6. *&* 9. *cujus opinioni adhæret ipsemet Cencius; & allegat Decis: Rotæ Romanæ coram Sephorano Decis:* 1417. *numero* 4. *parte* 2. *Idem scripsit & Gratianus disceptationum Forensium tomo* 4, *cap:* 654. *numero* 6. *Doctoresq; ab iis allegati*.

Ratio redditur, quia census constitutus erat super molendino, & sic, super ipso toto integrali: quod cassatur non solum ex mola & fistulis, atq; domo sed requiritur ulterius aqua profluens per fistulas ad molendinum; cum sine ipsis ædificium sit inutile, & nullos reddere possit ex demolitione fructus, & emolumenta, ut ad sensum patet. Quorum uno deficiente, non potest esse, neq; dici molendinum. Argumento *text: in L. Cum qui ædes, ff. tit: de usucapionibus*. Hinc cum in casu proposito defecerit cursus aquarum: & propterea, à Domino pri-

oris

oris molendini fuerit etiam destructa domus: dicendum est; fuisse in rerum natura molendinum, ob carentiam & defectum partium integralium, & consequenter censum extinctum esse, super quo census impositus fuit. *Ita Cencius Doctoresq; ab eo allegati, Et rationes adductæ, quem videre potest curiosus Lector.*

Non desunt tamen in ejusmodi dubio Doctores contrarium sentientes: proinde existimo in tali casu consuetudinem locorum esse attendendam, prout etiam *Lessius loco citato subjunxit.*

Oritur secundum dubium. Si hostilitas superveniat, an pendente illa hostilitate; debeant census persolvi? hanc materiam fusè tractat *Manzius in disquisitione sua censuali; quæst:* 1, *num:* 17. *& sequ:* ubi refert Philippum Regem Hispaniarum Annô 1587. ultima die Mensis Octobris edidisse; condulendo miseris debitoribus post Provincias Bellicas vastatas, ut in censu hoc reali, daretur remissio omnium annorum, quibus seri, meti, aut inhabitari non poterat. Prout etiam in Regno nostro, sub tempus incursionis Sueticæ, per duos annos durantis ejusmodi belli, debitores ejusmodi censuum liberi pronuntiabantur à solutione talium censuum. Sed ego, vili meo judicio, censeo, in tali casu, relinquendum esse arbitrio Judicis, ut ipse consideratis circumstantiis hostilitatis, an debitores censuum liberi debeant totaliter remanere; vel in parte, a solutione ejusmodi censuum. Et pro resolutione, remitto curiosum Lectorem ad

eundem

eundem *Manzium*, ſicut etiam; an tempore graſſantis peſtis totaliter, vel in parte debeat, cenſus perſolvi? arbitrio ejuſdem judicis relinquo, ut conſideratis omnibus circumſtantiis judicet, & decidat.

Quantum ad conditionem in Bulla Pii V. appoſitam, ut pecunia numeretur integraliter, in præſentia Notarii ac teſtium in actu cõfectionis inſtrumẽti.

Dico hanc conditionem in Regno noſtro tam in judicio Spirituali, quam Sæculari non ſervari: ſed ſufficere quòd in actu confectionis inſtrumenti, venditor censûs recognoſcat, ſibi eſſe numeratam pecuniam: nec requiri, ut in præſentia Notarii, & teſtium eadem pecunia numeretur, vel præſentetur.

Sed etiam *Surdus Conſilio* 262. *numero* 34. *lib:* 2, *&* *Rota Romana deciſ:* 286. *in noviſſimis ſcripſerunt:* cẽſum creatum, abſq; præſenti pecunia ante Conſtitutionẽ Pii V. ſuſtineri. Imò & poſt Bullam Pii V. non videtur improbari conſtitutio cenſus, etiamſi in ipſo actu confectionis inſtrumenti cenſus, non intevenerit pecunia numerata, dũmodò re vera conſtet ad manus venditoris pecuniam perveniſſe. *Idem ſcripſit Cencius, quæſt:* 50, *& Cardinalis de Luca, ubi ſupra, diſcur:* 4. *Novarinus in ſumma Bullarii commentio:* 48. *à numero* 47. *ubi num:* 51. *teſtatur,* in Regno Neapolitano hanc cõditionem in praxi non ſervari, ſed ſufficere ſolã confeſſionem venditoris, de recepta pecunia, & quod ipſe Pius V. in declaratione iſtiꝰ Bullæ ſuæ pro Regno Siciliæ, id permiſit.

Quantum ad conditionem ejusdem Bullæ Pii V. Nè anticipatè solutiones censuum fiant: concludunt Doctores; quòd hoc non potest fieri, nec in pactum deduci. *Ita scripserũt: Molina, ubi supra dis: 390. Clausula 3. Filiucius ubi supra. cap: 3. numero 325. Lessius, dicta dubit:* 12 *n.* 81. *Bonacina dic: pun: unico, numero* 26.

Ampliaturq; ut percipiens anticipatè, teneatur ad restitutionem perceptarum: ob rationem, quia recepit ex contractu illicito. *Ita Bonacina loco citato. Doctoresq; ab eo citati.*

Notant tamen Doctores, quòd Summus Pontifex per hanc suam constitutionem, non videtur prohibere, quin censuarius, ex aliqua justa causa spontaneè, anticipatè censum solvere possit. *Ita Azor: in Institutionibus Moralibus parte* 3. *lib*. 10. *cap:* 9. *quæst:* 2. *Bonacina loco citato, & Rota Romana decis:* 95. *numero* 8. *& decis:* 123. *post Cencium: moti ratione:* quia & in mutuo non damnatur, si mutuans, aliquid à sponte dante accipiat.

Quamvis *Cencius quæst:* 54. valde de hoc dubitet, ob rationem; quia Summus Pontifex, prohibuit nõ solùm nè anticipatæ solutiones deducantur in pactũ, sed etiam nè fiant, per consequens videntur damnari etiam eæ, quæ fierent ex spontanea voluntate solventis. Unde prædictam opinionem censet intelligẽdam esse, quando emptor censûs non emisset illum, ea mente & intentione, ut aliquando anticipatas solutiones reciperet; & eo casu, si venditor censûs anti-

tici-

ticipatè solveret, posset Dominus census, absq; aliqua labe recipere: secus, si expressa vel tacita convētione præcedente, hujusmodi anticipatæ solutiones reciperentur. *Idem sensit & Navarrus in suo comment: de usuris, numero 24. & alii Doctores citati à Cencio.*

Sed hìc oritur inter Doctores quæstio. An dictū pactum de solvenda anticipatè pensione, vitiet contractum, vel potiùs vitietur? *Cencius quæst: 54. numero 19. veriorem esse opinionem dixit: quæ tenet, quòd non vitiet & annullet contractum, sed vitiatur. Idem sensit Gratianus, tom: 1. discep: foren: cap: 141. numero 23. & eandem opinionem aliquoties canonizavit Rota Romana, ut videre licet in decis: 95. numero 9. Decis: 116. & decis: 308 numero 22. post Cencium. Quidquid in contrarium opinatus fuerit Michàël Salon in suo tract: de contra: & Commerc: humanis, sub tit; de censibus art: 3. controv: 12.*

Et non solùm attenta constitutione Pii V. sed etiam attento jure naturæ, istam anticipatam solutionem esse illicitam, *resolverunt Lessius ubi supra num: 81. Filiucius dic: cap: 3. num: 325. Bonacina numero 26.* Rationem adferentes: quia jus naturæ dictat, non esse solvendum id, quod nondum debetur, & quod nōdum est perceptum.

Dicit tamen *Lessius ubi supra & eum secutus est Gratianus tomo 4. cap: 679. num: 20, & 23. Rota Romana, decis. 123, & decis. 388. post Cencium, & ipsemet Cencius, quæst. 54. à numero 21.* posse sustineri hanc anticipatā solutionem, si hoc onus anticipatæ solutionis, ex ali-

qua rationabili causa compensaretur, *vg.* si ex anticipata solutione aliquod commodum, vel aliquam utilitatem venditor censûs consequeretur: exemplum ponitur, si minus justo pretio convento, venditor cẽsûs solvat.

Molina quoq; disput: 390. 3. Claus: ad finem scripsit, inquiens: Contractus ante Bullam Pii V. celebrati, aut ubi illa non est recepta, ex defectu hujus conditionis, non sunt judicandi injusti, & multominùs, quando pretium datum pro censu cum eo gravamine, latitudinem justi pretii non egrediatur; cum enim, inter pretium & mercem inæqualitas non cernatur: sanè non est cur talis contractus, ex natura rei judicetur injustus. Si autem egrederetur latitudinẽ injusti, quo ad solùm gravamen additum, remittendum esset gravamen; aut restituendum, si jam esset acceptum, ita ille, sed ego aliis cogitandum relinquo.

Movent hìc dubium Doctores, Pius V. in sua Bulla sancivit, ut census justo pretio ematur, & non declaravit, quod nam justum pretium dicendum sit; quale itaq; justum pretium debeat vocari?

Fachineus lib: 2. controversiarum cap: 43. Sex opiniones Doctorum circa hocce dubiũ adfert, una cum responsione ad singula fundamenta illarum.

Communior tamen opinio est, & in praxi recepta, pretium justum in hoc casu dici: quod communi æstimatione, vel consuetudine, aut jussu Principis loci illius, ubi iste contractus celebratur, taxatum, & assi-

assignatum est. Hujus opinionis est *Covarruvias variarum, resol. lib. 3. cap. 9. num. 6. Franciscus Leo, cap. 30. num. 12, & num. 25. Follerius in sua practica censuali, in verbo dummodo. Cencius quæst. 47. Navarrus parte 1. Cons. 6, & 9. in tractat. de Usuris, num. 104. & num. 138. & alii passim. Idemq; sentire videtur, & Rota Romana decis. 17. decis. 117, & decis. 337. post Cencium.* Et colligitur, id ex Constit: Martini V. & Calixti III. Summorum Pontificiũ, quæ plurimũ tribuunt consuetudini loci.

Frãciscus itaq; refert loco citato. Quod in Regno Aragon æ, quinq; pro quolibet centum, in Regno Navarræ sex, in Castella septem, & aliquando amplius, Romæ, aliquando septem cum dimidio, aliquando novem, ut plurimum tamen à personis timoratæ conscientiæ, pretium census ad septem pro centenario constitui. Et hanc creationem census à Rota Romana, aliisq; ministris justitiæ, Romæ, in Judicio cõtradictorio fuisse canonizatam non sine verisimili Papæ, & Confessariorum scientia & permissione. Et Pium V. ejus nominis Papam, post editam dictam Bullam, quàm plures census, ad rationem novem aut decem pro centenario ante editionẽ & publicationem illius constitutos, in Urbe ad instantiam partium, ad septẽ, ac etiam octo, pro quolibet centenario reduxisse, testatur.

Sic etiã Clemens VIII. Papa, septem à centenario, in statu Ecclesiastico, favore communitatũ, Universitatum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum di-

cti status Ecclesiastici, ære alieno oneratorum, annuum reditum censûs, motu proprio. *Annô Domini* 1594 die prima Maji taxâsse, is *idem Franciscus loco citato, &* *Cencius dic: quæst:* 47. *num:* 24. *testantur.*

In Germania autem, quinq; pro centenario, per Carolum V. Imperatorem taxatum esse. *Refert Gail lib:* 2. *observ:* 7. *numero* 15.

Sic etiam Rota Romana, *Decis:* 17. *post Cencium definivit.* Censum posse vendi ad rationem octo, & etiam decem pro centenario, ob rationem, quia, nec Bulla Pii V. nec alibi reperitur prohibitum constitui, & vendi minori pretio, & pretia rerum pro varietate locorum & temporum, diverso modo considerentur, *ùt habetur in L. Pretia rerum, §. Finali, ff. ad Legem Falcidiam.*

Id tamen non nego, quòd cessante consuetudine, vel lege Principis, justum pretium, partes pro arbitrio suo, possint constituere, decem minus vel plus, ùt idem *scripsit Navarrus, in Manuali sub cap:*23. *à num:* 8. *& in tractatu de usuris num:* 112. *Cencius dic: quæst:* 46. *ad finem, & quæst:* 47. *à num:* 17. *ob rationem.* Quia, arbitrii sui fundamentum habere possunt in dic: Constit: Martini V. per quas permissum est, ut pretiũ censûs decem plus vel minùs constitui possit.

Quamvis *Franciscus Leo,* ubi supra, septem à centum (seclusa Lege vel consuetudine) justissimũ pretium censûs dicit; & ut non plus constituatur contrahentibus, suadet. Ex quo ejusmodi pretium, sit me-

medium & mediocre inter alia pretia, sic & apud nos censûs pretium, septem, à quolibet centum inter personas Ecclesiasticas, & Spirituales servatur, ut infra dicemus.

Quantum ad illam conditionem Bullæ Pii V. his verbis adjunctam: quemadmodum nec volumus valere pactum auferens, aut restringens facultatem alienãdi rem censui suppositam. Quia volumus, rem ipsam semper, & liberè, ac sine solutione laudemii, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate, alienari.

Dico primò. Pactum in contractu censuali appositum auferens, aut restringens facultatem, rem censui suppositã, simpliciter non alienãdi, esse illicitum, & invalidum, stante prohibitione Pontificia (hoc est Pii V. Pontificis) Patet id tum ex verbis Bullæ ipsius, *& ita communiter tenent Doctores, uti Molina, ubi supra, disput: 390. Clausula 5. Bonacina dic: pun: Ultimo. Lessius dic: cap: 22. dubit: 12. num: 83. Cen: quæst: 56. Filliucius loco citato, cap: 30. num: 331. & alii passim.* Ratio redditur, quia de jure communi, quilibet rei suæ est moderator, & arbiter: *ut habetur in L. Dudum, ff. de contrah: empt: & in L. in re mandata Cod: tit: Mandati.* Sed Dominus rei censuatæ, habet Dominum directum, & possessionem rei censui subjectæ, ut ex ante dictis patet, & expresſè habetur *in decis:* 148. *num:* 12. *Rotæ Romanæ, post Cencium apposita*: ideo non debet ei hæc facultas auferri.

Ra-

Ratio secunda. Quia ejusmodi pacta, de non alienãda re propria, etiam de jure communi, videntur esse prohibita, ut colligitur ex *L. Nemo, ff. de pactis, ubi dicitur.* Nemo, paciscendo efficere potest, ne sibi locũ dedicare liceat; aut ne sibi in suo, sepelire mortuum liceat: aut ne vicino invito, prædium alienet.

Quòd autem nec laudemium ex dispositione juris Emphiteutici, Emphiteutæ solvere tenentur ob recognitionem Dominii directi, quod remanet penes Dominum concedentem, rem suam in Emphiteusim, jam autem penes Dominium census, nullum dominium directum remanet, ùt diximus: non videtur, cur illud possit exigi; *ita Lessius, & Molina locis citatis.*

Nec per hoc emptor censûs potest inire dictum pactum, quod saltem habeat jus percipiendi ex illa re censui subjecta pensionem, seu censûm. Quia; etiam res servitutem impositam habens, potest valide à Domino fundi alienari; illaq; servitus imposita trãseat ad emptorem illius fundi. Ita etiam, licet res censui imposita alienetur, onus solvendi censum impositum, in ementem transfertur. *Ita Molina loco citato, facit & Lessius, ubi suprà, numero 83.*

Ejusmodi tamen pactum, si in contractu censuali, appositum fuerit, non vitiaret contractum, etiã stante prohibitione Pontificia, sed solùm vitiaretur; hoc est pro nullo haberetur, & contractus in suo robore, in reliquis remaneret validus. *Ita Cenc: dic: quæst: 56. ad finem, ut tenuit Rota Romana, decis: 2. numero 7. post Cencium,* An

An autem seclusa Bulla Pii V. vel ubi non est recepta, ejusmodi pactum subsistat. *Molina ind. Clausula 5. Filiucius ubi suprà, 1. ad finem. Bonaci: dic: puncto unico, num: 37. affirmant*, dummodo istud gravamen compensetur aliquo alio, *vg.* augendo pretium seu diminuendo censum; aliàs non ob rationes supra allatas: quòd videlicet de jure communi; quilibet sit rei suæ arbiter, & de illa possit liberè disponere, nisi à jure prohibeatur. Tum, quia ejusmodi pacta, non videantur de jure communi esse prohibita.

Dico secundo; pactum in contractu censuali appositum, non totaliter auferens, vel restringens facultatem alienandi, seu vendēdi rem censui subjectā, sed solùm quod non debeat vendi, nisi Domino censûs, licitum esse, & jam non seclusa Bulla Pii V. *Ità Cencius quæst: 56. num: 6, & sequ.* Quòd autem ejusmodi pactum de jure communi licitum sit. *Allegat textū in L. si sterilis § si tibi fundum ff. de action: emp: & vend: & L. Qui fundum. 2. ff. de Emptione.* In quibus Legibus (ait ille) ex pacto, quòd non liceat rem alteri vendere, & in casu contraventionis datur actio ex empto.

Quod etiā ejusmodi pactum, non repugnet Bullæ Pii V. adfert rationem: quia Bulla præfata, prohibet duntaxat Pacta, per quæ, restringitur facultas alienandi rem censui suppositam: quod non verificari, de pacto, de quo ad præsens: per quod convenitur, ut possit alienatio fieri, sed Domino tantum censûs.

Imò dicit, ex eadem cōstitutione Pii V. pactum istud, videtur esse concessum, & permissum. Dum in eadem Bulla Pii V. sancitur: quod debitor census, volens fundum vendere censui subjectum, teneatur denuntiare Domino censûs futuram venditionem: qui volens eam emere, deberet præferri. Quamobrem, cùm pactum hoc, de quo agimus, non arctat venditorem censûs, ad vendendum: nec illum prohibeat, quo minùs vendere valeat, non potest dici repugnare Bullæ Pii V. cùm illud de jure communi, circa alias res sit permissum.

Nec obstare dicit opinionem contrariam, *Feliciani de solis in commentariis: de censibûs, tomo 1. lib: 1. cap:* 10. *num:* 7. *cum sequ:* ex quo, non videatur specialem rationem reddere; & afferre, cur debeat esse prohibitum, in contractu censuali.

Ex quibus infert; videri validum, & licitum esse pactum, quod venditor censûs non possit rem cēsui suppositam alienare, absq; consensu, & licentia Domini Censûs, ùt voluit *Soto in suò tract: de just tia & jure, lib. 6. quæst. 5. art. 2.* vel quòd non possit illā vendere, non requisito Domino Censûs: nam hoc etiam pactum, non esse iniquum affirmat *Lessius dic. cap. 22. dubit.* 11. *num:* 71.

Et quamvis ipse dicat, illud esse præter naturā contractus censualis: hoc tamen, illi concedendum esse minimè arbitratur, dicens: Judicio meo, ex prædicto pacto, non restringi facultatem alienandi fun-

dum

dum censitum, plus quam fiat ex eademmet Bulla Pii V. Quoniam (inquit ille) sicut ibi Papa post factam denuntiationem Domino censûs, an velit emere fundum censui subjectum, lapso mense, reliquit in libera facultate debitoris Censûs, vendendi rem illam, cuiq; voluerit: eo modo, stante dicto pacto, præcedente tamen interpellatione, & requisitione, de Domino Censûs an velit emere & lapso termino, per Judicem assignato, & præfixo, ad deliberandum, an emere velit (qui terminus solet esse duorum mensium) erit liberum debitori Censûs, rem illam, cuicunq; voluerit vendere. *Ita argumentatur Cencius loco allegato, quem videre licet.*

Contrarium tamen *tenet Filiucius tractat: 35. cap: 1. ad finem,* dum inquit: licita esse pacta (seclusa Bulla Pii V, & ubi non est recepta) ut debitor censûs, non possit rem illam vendere, non requisito prius, emptore: quasi vellet dicere: quod attenta Bulla Pii V. id non sit licitum, *& in cap: 3. numero* 332. dum inquit: si debitor censûs venderet rem irrequisito Domino censûs, an venditio esset valida? arbitror dicẽdum, jure Bullæ invalidam fore, quia in fine Bullæ dicitur; Contractus, qui non habent cõditiones, prædictas judicandos esse fæneraticios, ac propterea nulli erunt: secluso autem hoc jure, vel ubi Bulla quo ad hoc non esset recepta, valida esset *Hucusq; Filiucius.*

Sed opinio *Cencii probabilior videtur ob rationes ab illo adductas.* Tum quia videntur esse diversa pacta,

non alienandi simpliciter; & non alienandi irrequisito Domino censûs.

In primo enim pacto totaliter aufertur Domino rei censuatæ facultas alienandi censum. In hoc autē non item: Quia non prohibetur, & interdicitur alienatio, sed permittitur: dummodo fiat cum scitu, & requisitione Domini censûs, ut possit, vel illam rem jure retractus obtinere, vel providere indemnitati censûs.

Nec obstare videtur, quòd Pius V. prohibuerit pactum, non tantùm auferens, sed etiam pactum restringens: quia illud verbum restringens, videtur referri ad solutionem laudemii, non autem ad alia pacta restringentia alienationem ex justa causa: siquidem in odiosis, non debet fieri extensio.

Nec obstare videtur: quod de jure communi, fundus censûs potest vendi, etiam irrequisito Domino Censûs, *juxta Cencium quæst: 66. num: 37. & Doctores ab eo allegatos.* Unde Bulla Pii V, tanquam exorbitans non debet extendi, sed ut jacet intelligendā esse. Tum, quia illud, quod de jure communi potest fundus censûs vendi irrequisito Domino censûs, intelligendū est, præcluso pacto, *ut innuit Cencius quæst: 56. num:* 11. Tum quia Princeps in dubio non præsumitur præjudicare juri tertii, *ut habetur in L. 2. § Merito. ff. Ne quid in loco publico.*

Ex quo infertur: probabilius esse, quod licitū pactum sit, nè Dominus fundi censuati, illum fundū

ven-

vendat, alicui potenti, & multis privilegiis instructo: à quo difficulter obtineretur solutio pensionis. *Ita Lessius ubi suprà, num: 21. Licèt Molina ubi suprà, Filiucius dic: numero 332. arbitrantur contrarium, attenta Bulla Pii V.*

Quantum autē ad illam conditionem Bullæ, *ubi autem vendenda sit, volumus Dominum censûs præferri aliis. Eiq; denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensem expectari.*

Circa explicationem, istius conditionis non immoror. Nam, quantùm ad probationem; communiter tenent Doctores, quod seclusa Bulla Pii V. & ubi non est recepta, hæc prælatio cesset. *Ita Navarrus in tract. de usuris, numero* 106, *&* 108. *Cencius quæst:* 65. *num:* 8. *& alii communiter contra Surdum, cons:* 208. *lib:*2.

Id tantùm adnoto; quod dicta prælatio, attenta Bulla Pii V., & ubi recepta est, locum non habeat, si consanguinei, vel vicini, aut rem communem habētes, respectu consanguinitatis, vicinitatis, communitatis, ubi talis consuetudo, aut statutum vigeret, intervenirent, & jure retractûs agerent. *Navarrus ubi suprà numero* 127. *Gratianus tomo* 4. *discept: Forensium, cap:* 472. *numero* 60. *Cencius quæst:* 65. Regulaturq; jus rectractûs, à jure retractus quod fit jure cōsanguinitatis, vicinitatis. *Ita Rota Romana decis:* 159. *post Cencium.*

Adnoto secundò; quòd emptor censûs, in venditione rei censuatæ præferatur, ut acceptet omnes

conditiones, quibus res illa censuata, alteri vēditur. *Ita Cencius quæst: 65. num: 2. & quæst: 66. num: 17, & num: 99. quem vide, & hoc notabile canonizavit Rota Romana decis: 475. parte 1. diversorum; quæ est post Cenciū decis: 71. & Rota Romana decis: 620. par: 2. recentiorum.*

Deinde, ut emptor Censûs, in venditione rei subjectæ censui præferatur, debet in hac prælatione prioritas census impositi, non autem majoritas illiq; idq; sive iste anterior census fuerit creatus, ante Cōstitutionē Bullæ Pii V. sive post illam, *ita Cencius quæstio: 65. à n. 4. & Rota Romana decis: 308. àn 4 post Cenciū.*

Circa quod notandum est; quod dictum jus retractus, concessum Bullâ Pii V. procedit, si census, cujus vigore petitur prælatio, sit validè constitutus. *Ita Gratianus discept: forensium tomo 5. cap: 903. mume: 8, & eum secutus est Cencius dic: quæst. 65. numero 2, & quæst: 88. ubi latè tractat.* An fructus ex contractu cēsus nullo, recipi possint? & concludit negativè, cum hac tamen clausula. Quòd emptor census, non amittat dominium pecuniarum, quas in emptione census nulliter facta, exposuit, & erogavit. imò, quod possit illas ad sui libitū repetere: etsi perceperit fructus, ex contractu nullo, teneri ad restitutionē: vel illos in sortem principalem computare, & cum illa, in redemptione censûs, proportionaliter compēsare.

Notandum 2dò; quod dictum jus retractus vigore Bullæ Pii V. concessum: si Dominus fundi censuati, pretium census, antequam illum fundum vendat,

dat,

dat, emptori censûs, pretium censûs solvat. *Ita Navar: ubi suprà, de usuris; quæst: 43. num: 127. Cencius dict quæst 65. ad finem.* Ratioq; redditur: quia hoc jus prælationis, ex Bulla Pii V, competit emptori censûs: ex hac ratione; quia habet dictam rem censui subjectam, quodammodo sibi obligatam, ad percipiendam annuam pensionem: extincto itaq; & redempto censu, debitor censûs, non habet amplius illam obligationem sibi servientem: Nam causa cessante, cessat etiam effectus, ut est trita juris regula: & *facit text: in L. Item liberatur, ff. titulo, quibus modis, pignus vel hypotheca solvatur, ubi dicitur:* Item liberatur pignus, sive solutum est, debitum, sive eo nomine satis factum est: vel, si aliqua ratione, obligatio ejus finita est.

Notandum tertio; quod dictum jus retractûs locum habeat non solùm, quando res censuata venditur; sed etiam, quando alicui in solutum datur: *Ita Rota Romana decis: 158. post Cencium, & ipse Cencius, dict: quæst: 66. à num: 23.* Ratio redditur quia datio in solutum, similis est venditioni, imò dicitur venditio, *ut habetur: in L. finali, ff. tit. Ex quibus* causis in possessionem eatur, *& in L. Si prædium, Cod. de evictionibus.*

Imò locum habet, & in venditione voluntaria; sed etiam in venditione facta per Judicem: *ita Gratianus tomo 3. Disceptationum forensium, cap. 544. num. 5. & tomo 4. cap. 784. à num. 9. Idem sensit & Cencius quæst. 66.*

66. num. 25, & num. 28. ubi tamen id declarat, & Rota Romana, decis. 156. post Cencium, quidquid in contrarium Scacesa in tract. de commerciis & cambiis, quæst:1. numero 245. scripserit.

Notandum 4. Quòd ille mensis, concessus Domino censûs, ad deliberandum, & declarandum; an velit, præferri in emptione rei censitæ, & illam retrahere, incipiat currere à die denuntiationis sibi factæ, *ita Molina ubi suprà, disput. 390. Clausula 5. & Cencius quæst. 66. num. 46. & colligitur ex ipsismet verbis Bullæ Pii V.*

Dicta autem denuntiatio, requiritur vigore dic: Bullæ pro forma; ita ùt non sufficiat aliunde scientia venditionis rei censuatæ. *Ita Rota Romana, decis. 158. num. 8. post Cencium, & apud Ludovisium, decis. 425. ibique annotans latè Cencius quæst. 66. à num. 48.*

Et quod dicta denuntiatio, maximam habeat justitiam, & æquitatẽ multis rationibus. *Franciscus Leo d. cap. 33. num. 3.* hoc est: quod emens censũ vel sibi non bene consuluit, aut vult esse certus de qualitate ementis, si quidẽ pluribus modis, in venditione prædii suppositi censui, creditor, censûs detrimentum potest pati.

Primò; Si vendatur personæ litigiosæ, aut malæ conditionis.

Secundò; Si vendatur potentiori.

Tertiò; Si vendatur Pauperi, *ita Franciscus Leo locô citatô.*

Un-

Unde aliqui Doctores credunt, licitum esse censualistæ, repetere rem censui subjectam, si fuit vendita, illo requisito. *Ita Benacina dic. pun. unico num.22.*

An autem dictum jus retractûs, vigore Bullæ Pii V. concessum non permissa dicta denuntiatione, habeat locum, tantum, contra primum emptorem fundi censui suppositi; an etiam contra secundum, & ulteriorem emptorem. Tum, an facta venditione, absq; dicta denuntiatione, præjudicet dicto privilegio prælationis, percipiendo, postea pensiones ex dicta re, sibi debitas, ab emptore rei subjugatæ censui, *latè tractat. Cencius, dic. quæst. 66.*

Sed cum apud Nos, dicta denuntiatio, & jus, prælationis non sit in usu, ideo circa hæc non immoror, id tantum subjungo: quòd licet seclusa Bulla Pii V. privilegiũ prælationis non videatur Domino censûs competere, tamen de æquitate illum esse præferendum, cæteris paribus censerem, pro quo videtur facere Statutum Casimiri Magni Regis Visliciæ latum. *Quod refert Herburtus sub verbo præscriptio. Incipiens:* De cætero statuimus, quod cum aliquis &c.

Quantum ad illam conditionem in Bulla Pii V. appositam, dum inquit Summus Pontifex; *Pacta continentia morosum censûs debitorem, teneri ad interesse lucri cessantis: vel ad cambiũ, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria, sive expensas medio juramento creditoris liquidandas: aut rem censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere: aut aliud jus ex eodem contra-*

tractu, sive aliunde acquisitum perdere: aut in aliam pœnã cadere, ex toto irrita sint.

Dico primò; quoad illud punctum conditionis supra positæ, aut rem censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, si *vg.* pro termino in contractu apposito, pensio non solvatur. Non tantum attenta Bullâ Pii V. sed etiam ea seclusâ, esse pactum iniquũ, & injustum. *Ità Molina, ubi supra, disput: 390. Clausula 6. Navar: in tractatu de usuris, n. 93. Bonacina, dic: puñ: unico, n. 40. Cencius quæst 57. à num: 17. Doctoresq; ab illo citati.* Ratio hujus cõclusionis adfertur. 1*ma*, quia non est æquum, quod res censui subjecta: multò majoris valoris, quàm census debitus, & prætensus est, amittatur, & in dominium emptoris censûs, devolvatur; cum hoc, usuram saperet, & licet *idem Molina ibidem testetur* in Regno Neapolitano, *per L. 68. Tauri* ejusmodi pactum esse approbatum: nihilominus eam legem in praxi non servari refert, nisi in censu reservativo, & pro hoc *allegat Covarruviam lib: 3. variarum resolut: cap: 7. & alios DD.*

Hinc *Cardinalis de Luca, ubi supra, discursu 1. numero 7. in sacro Concilio Neapolitano, in praxi servari testatur*, non procedi ita defacto & executive ad solam petitionem creditoris, ad rescissionem ejusmodi cõtractûs, sed quod debitori fiant duæ vel tres monitiones, cum congruo termino unius mensis, vel circiter, pro qualibet, ut solvat fructus: & quando debitor in mora & contumacia perseverans, solvere non

cu-

curat, tunc proceditur quidem ad rescissionem, adjecta tamen clausula, quòd supersedeatur in exequẽdò, per aliquorum mensium congruum terminũ præscribi solitum, intra quem, si debitor solvit fructus, dicitur ita purgare moram, ut evitet resci ssionẽ, quæ habetur pro non facta, remanente solum onere debitori reficiendi expensas tali occasione factas. Quãvis *Cardinalis de Luca* videatur ibi loqui in casu, si fuisset initus contractus cum pacto, ut in casu non solutionis fructuũ per sex menses &c. licitum esset rescindere contractum, & petere sortem principalem. Nihilominus videtur à fortiori dictus stylus applicari casui nostro, & ubi Bulla Pii V. non esset recepta: nam debitor censûs, posset interea temporis purgare moram, & solvere census retentos, salvo remanẽte contractu.

Dico secundò. Licitum pactum est, ut, si Dominus rei censuatæ non solverit pensionem pro termino præfixo; Dominus censûs possit propria authoritate, absq; aliquo decreto & licentia Judicis, rem cẽsui subjectam occupare, & fructus percipere. Nam licet (ipsi juxta veriorem opinionem, quam amplexꝰ est *Cencius quæst: 94.*) secluso dicto pacto id facere prohibeatur, sed debeat Judicem pro complemento justitiæ adire. *per text: in L. extat: ff. de eo quod mètûs causa, ubi dicitur: Extat decretũ Divi Marci in hæc verba:* Optimum est, ut si quas putas habere petitiones actionibus experiaris, *& in L. penultima ff. ad L. Juliæ*

de vi privata: ubi dicitur. Creditores si adversus debitores suos agant, per Judicem, id quod sibi deberi putant, reposcere debent, alioquin, si in rem debitoris sui intraverint, id nullo concedente, DivusMarcꝰ decrevit, jus crediti eos non habere &c. &c.

Nota tamen, si inter emptorem & venditorem censûs, hoc pactum initum fuerit, ut Dominus censûs, proprio suo jure, absq; aliqua authoritate, decreto, & licentia Judicis, rem censui suppositam apprehendere, & fructus percipere possit, ejusmodi pactũ licitum esse, *Tenuit Rota Romana, decis: 542. post Cencium, & Cencius ipse locô citatô, facit & decisio Afflicti 326. Navarr: Consilio 7. titulo de emptione & venditione, Gabriel Consilio 152. lib: 1. videatur, & Cencius dic. quæst: 94. & Rota Romana, post Cencium decisione 152.*

Hinc patet; licitum esse pactum, quod aliquando apud nos, in contractibus censualibus solet apponi, ut in defectu solutionis censûs pro termino præfixo, liceat Domino censûs inequitare bona censui subjecta: cum ejusmodi pactum magìs tendat ad expeditiorem, & faciliorem exactionem censûs, quàm ad aliquam pœnam.

Sic etiam *Cencius quæst: 57. numero 23, & num:29 scripsit:* quòd debitor censûs, potest ob moram in solvendo censu, submittere se censuris Ecclesiasticis: non tamen se obligare ad solvendum duplum.

Quantum ad illa verba Bullæ Pii V. teneri ad interesse lucri cessantis. Dico, pactum quo ad interesse

da-

damni emergentis, licitum esse, etiam attenta Bulla Pii V. & ubi servatur. *Ita Navarrus ubi supra num:41. & sequ: Filiucius num: 333. Bonacina num: 39. Lessius dubit: 12. numero 86. Cencius quæst: 57. & alii passim.* Ratio redditur: quia Summus Pontifex solùm prohibet pactum lucri cessantis, ut patet: unde extensio ad non expressa, nō debet fieri, maximè, quia dicta Bulla exorbitans est à jure communi, quo jure, licitum est pacisci tam super interesse damni emergētis, quàm super interesse lucri cessantis; & utrumq; posse exigi, interveniente culposa mora, debitoris, *facit & decisio Rotæ Romanæ, 479. post Cencium, ubi dicitur.* Quod de jure communi obligatio ad damna & interesse, intrat in qualibet obligatione in factum, & tanto magìs, si super hoc, conventum esset inter partes, pro quo, *allegatur text: in L. stipulationes non dividuntur, ff. de verborum obligationibus, ibiq; Doctores, & in L. 13. ad finem, ff. de re judicata.*

An autem Summus Pontifex prohibuerit pacta respectu lucri cessantis tam intrinseci, quàm extrinseci, *videantur Doctores citati. Et Cencius dic: quæst: 67. num: 12. scripsit.* Quòd si pactū respectu lucri cessantis fuerit appositum, non vitiaret contractum sed vitiaretur.

Quantum verò ad prohibitionem pacti quo ad expensas, dicunt Doctores; quod Summus Pontifex, non prohibuit exigere expensas rationabiles, ac moderatas, quas Dominus census, ob moram debitoris

fecerit, in exigenda, & recuperanda pensione; & in summa, quod non prohibeat exigere ab illo, quòd, secluso quocunq; pacto, licitè exigere poterat: sed solum vetat exigere quidpiam aliud, virtute pacti contractûs cēsuali additi, *ita Molina ubi supra, clausula 6. Cencius dic; quæst: 37. à num: 13.* Unde inquit exactionem expensarum illarum solum prohiberi: quæ ex pacto, vel conventione inter contrahentes inita, & instrumento censûs specialiter apposita refici promittantur: non autem eas, quæ ex juris dispositione veniunt repetendæ, & mandato Judicis adjudicari soleant. Unde videtur prohiberi pactum, ut venditor censûs, faciat expensas pro rogitu instrumenti, & scriptura, cum ejusmodi expensæ ad emptorem censûs spectare dignoscantur; uti ad eum, qui cōmodū ex scriptura sentit, ad comprobandum videlicet jus suum, *ita Bonacina dicto pun: unico, n. 32. ubi supra.*

Similiter pactum de transferendis pensionibus, sumptibus propriis debitoris censûs, ad domum emptoris longè distantem, vel ad alium locum longè distantem. Ratio redditur: quia per illud, adjicitur debitori censûs onus & gravamē prætio estimabile, quòd est contra justitiam: siquidem, ex adjectione dicti gravaminis, efficitur: ut census sit constitutus, vel venditus minori pretio, tum, quia censuarius, ex natura contractûs non tenetur referre suis expensis, pensionem in domum censitoris: Censuarius autem nō potest obligari, ad id, ad quod non tenetur ex natu-

ra contractûs, *ita Cencius quæst: 86. num: 17. Bonacina dic: pun: unico, num: 35.* sed apud nos hæc non adeo in omnibus servantur.

Quantum ad conditionem, quam Pius V. apposuit in Bulla sua dum inquit: *Volumus etiam posse pro eodem pretio extingui, non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabilis; imò centum & plurium annorum præscriptione: non obstantibus aliquibus pactis, directè, aut indirectè, talem facultatem auferentibus, quibuscunq; verbis, aut clausulis concepta sint.*

Ex quibus verbis Bullæ Pontificiæ, colligũt DD. Quod emptor censûs, non potest ad libitum sui, sortem principalem exigere; sed respectu illius, debet esse perpetuus. *Ita Rota Romana, decis: 642. num: 3. ad finem, & decis: 670. parte 1. recentiorum.* Bene tamen venditori censûs, concessum esse quocunq; tempore voluerit, hunc cẽsum redimere, restituto pretio emptori censûs, quod accepit ab eo, *ita Rota Romana decis: 152. & decis: 271. post Cenciũ, & ipse Cencius quæst: 59. quæst: 103. & quæst: 106.* Imò, si noluerit recipere, juris remediis posse illum stringi ad recipiendum pretium, *scripsit Rota Romana, decis: 56. num: 5. parte 1. recentiorum.*

Sic etiam Carolus V. Imperator, in Comitiis Augustanis, constitutione sua, sub tit: de usurariis contractibus sancivit. (*teste Engiel in Collegio juris Canonici lib: 5. tit: 19. n. 22.*) Ut censûs reemptio, non sit in arbitrio emptoris, sed solum venditoris.

Nec

Nec pactum iniri potest, quod venditor censûs, nullo tempore possit censum redimere, aut solum, ad arbitriũ emptoris censûsq; ejusmodi pactum esse illicitum, uti contra Constitutiones Martini V. Calixti III, & Pii V. Summorum Pontificum, *scripsit Rota Romana in decis: 142, & decis: 152. post Cencium, & ipse Cẽcius quæst: 59, & quæst: 103.*

Nec hæc facultas redimendi censum, lapsu temporis longissimi, ac immemorabilis, imò nec centum & plurium annorum, tollitur & aufertur, ut expresse patet ex verbis Bullæ Pii V, & Constit: Martini V,& Calixti III. Summorum Pontificum, ut videre licet in ijsdem Bullis, & scripsit *Cencius dic: quæst: 59. & quæst:* 103. An autem, de jure communi, lapsu triginta vel quadraginta annorum, hæc facultas redimendi censum tollatur, & amittatur, non modica est cõtroversia inter DD. *ut refert Cencius, dicta quæst:* 103.

Engel tamen lôcô citatô scripsit. Quod si census iste realis non tantum ex parte venditoris, sed etiam emptoris, & sic utrinq; redimibilis constituatur; adhuc tamen non improbabiliter ab usura defendi possit, ob rationẽ; quia contractus ex Conventione partium legem recipiunt, *ut dicit text: in cap: contractus de regulis juris, lib: 6. decretaliũ.* Et ab emptione semper recedere potest de consensu contrahentium. *Ut habetur in L. ab emptione, ff. de pactis, ibiq; Bartolus, & alii DD.*

Quæ opinio *Engel* potest procedere, seclusis Bul-

lis

sis Summorum Pontificum, & non alias *ut tenuit Rota Romana dic. decis: 152.* quod ante Bullam Pii V. census poterat creari cùm pacto; si certo tempore, v.g. ante quinquennium non redimeretur, fieret irredimibilis. Ratioq́, redditur; quia pactum de retrovendendo constituto tempore, nullibi reprobatur, neq; in Bullis Martini V. & Calixti III. Summorum Pontificum; neq; de jure communi, *ut scripsit Sotus, de justitia & jure lib. 6. quæst. 5. art. 3. conclus. 5. & Joannes Molina, de restitutione, in quæst. de censu redimibili cap. 8.*

Ex quibus inferunt Doctores, Censum istum, non per hoc dici temporalem, quòd venditor censûs possit ad libitum suum, illum redimere, eodē pretio. Quia Bullæ Summorum Pontificum præfixerunt tempus, in quo, venditor census, illum redimere possit, sed relinquatur arbitrio venditoris. Tum, quia clausula in contractu censuali soleat apponi in perpetuum, quòd verbum, denotat, sine aliqua præfixione temporis, atq; ita semper duraturum. *Ita Rota Romana. decis. 394. post Cencium, & Gratianus tomo 5. disceptationum forensium, cap. 985. num. 10. Cencius quæst. 2. quæst. 60. & quæst. 107.* Ad hæc, & ex hoc, perpetuum esse, quia emptor censûs, non potest à venditore repetere pretium. *Ita Lessius ubi suprà, dubit. 12. num. 94. ubi subjungit:* Nisi census sit irredimibilis justô pretiô comparatus. *Pro quo facit & Rota Romana decis. 125, num. 2. & 4. ubi dicitur:* Irredimibilitas census debet compensari cum pretio, aliàs contractus est injustus, non tamen usurarius.

Quamvis autem Bulla Pii V. permisit venditori census, illum redimere, tamen apposuit conditionem, ut ante redemptionem faciendam, denuntiet emptori census, hanc redemptionem per bimestre ante: prout id expressè declarant Bullæ ejusdem, dum inquit: *Cùm vero traditione pretii reditus extinguendus erit, volumus per bimestre antè id denuntiari ei, cui pretium dandum erit: & post denuntiationem infra annum tamen, etiam ab invito repeti posse; & ubi pretium, nec volens, intra bimestre solvat: nec ab invito, intra annum exigatur. Volumus nihilominus quandocunq; redditum extingui posse, prævia tamen semper denuntiatione, de qua suprà: & non obstantibus his de quibus suprà, idq; observari mandamus, etiam, quod pluries & pluries denuntiatum fuisset; nec unquam effectus secutus fuisset.*

Circa quàm conditionē denuntiationis seu disdictæ.

Notandum *primò:* Dictam denuntiationem, seu disdictam, vigore Bullæ Pii V. Summi Pontificis, adeo esse necessariam, ut illa prætermissa, non sequatur legitima redemptio censûs; imò census semper remaneat vivus & ipso robore. *Ita Rota Romana decis.* 173. *decis.* 277. *& decis.* 278. *post Cencium, & ipse Cencius, quæst.* 103. *num.* 20.

Notandum *secundò;* Quòd post factam dictam denuntiationem emptori census! is emptor census, potest expectare per bimestre, & si venditor census, intra id tempus non redimat; habet facultatem extorquendi pretium ab invito, sed tamen intra annum,

ut sonat Bulla, ita Filiucius ubi suprà, cap. 3. num. 338.

Notandum *tertiò*; Quòd cùm necessitas ista, denuntiandi futuram exemptionem censûs, sit à Pio V. Summo Pontifice inducta in favorem Domini seu emptoris censûs, ut possit providere de novo investimento pecuniarum (*ut dixit Rota Romana, decis. 270. decis. 276. decis. 558. post Cencium. & Cencius ipse, quæst.* 103. *num.* 18. & 20.) licitum erit Domino seu emptori census, huic favori renuntiare, & absquè ista denuntiatione, & disdicta, pretium censûs recipere, & in extinctionem census consentire: ob rationem; Quia quilibet potest favori suo renuntiare. *Ut habetur in L. Si quis in Consulendo. Cod. titulo de pactis, ita Rota Romana, dic. decis.* 558. *Cencius dic. quæst.* 103. *num.* 20. *ubi numero* 24. *subjungit.* Quòd dicta denuntiatio, seu disdicta, debet fieri, de mandato competentis Judicis, idq́, prævia citatione. Competens autem Judex dicitur, cujus jurisdictioni subest debitor censûs. Et si Dominus seu emptor censûs, nolit recipere pretium, ex decreto ejusdem Judicis, possit decerni depositum pretii, *prout Rota Romana, decis.* 276. & *decis.* 277. *post Cencium declaravit.* Quod & apud nos servatur.

Hinc *Federicus Martin, in suo tractatu de jure Censuali cap. 6. numero* 382. *dixit* valere pactum, quòd debitor censûs volens illud redimere, bimestre, trimestre, & semestre ante denuntiet Domino censûs suam voluntatem de futura redemptione, censûs &

repositionem pretii. Rationemq́ reddit: Quia hujusmodi pactum, nullum venditionis censûs præjudicium contineat; & prosit emptori, ut suæ indemnitati tempestivè providere possit; & destinare pretium emptioni alterius census, vel simili dispositioni. *Quàm opinionem Federici, Cencius dicta quæst: 203. num. 19.* admittit, cū non videatur repugnare Bullæ Pii V.

Notandum *quarto*; Quòd venditor census; invito emptore, non potest pretium reponere in quacunq́; parte dictorum duorum mensium, *ut voluit Molina, ubi suprà, disput. 391. clausula decima.* Sed expectare debet lapsum dictorum duorum mensium, si emptor censûs, id voluerit, ut interea possit invenire locum, in quo collocet pretium. *Ita Filiucius loco citato & Salas ab eo allegatus.* Ratioq́; redditur; quia dictum spatium duorum mensium datum sit in favorem emptoris censûs, ut diximus: non autem in favorem venditoris, *ut voluit Molina, loco citato.*

Notandum *quintò*; Quòd, si pretium non solvatur à vēditore censûs, intra illud bimestre; nec intra annum exigatur ab invito; possit nihilominus venditor censûs, redimere quādocunq́; voluerit, prævia tamen denuntiatione, & servatis de jure servādis, ut in Bulla Pii V. *Ita Molina, & Filiucius ubi suprà, ubi Molina subjungit:* Quod ante Bullam Pii V. consvetum fuisse in Hispania redimere censûm, quandocunq́; venditor censûs voluerit.

Quantum ad illam conditionem in Bulla Pii V. appo-

appositam: *ut pretium census semel constitutum, non possit augeri vel minui, ex aliqua circumstantia superveniente; sed æquale pretium reddendum, pro quo census ab initio fuit emptus.* Sensum istius conditionis talem esse explicant Doctores: Quod venditor censûs, potest extingvere cēsū, reddito eodē pretio priori emptori, aut alter qui à priori emisset; & ad id illos cogere. *Ita Lessius dic. dubit. 12. num. 95. Filiucius dic. cap. 3. numero 318. & num. 321. Bonacina. dic. pun. unico, num. 42.* ubi tamen subjungit, non esse negandum, quin censuarius semel redempto censu, possit censum alteri vendere majori pretio; quàm vendiderit primo emptori, si pretium census habeat latitudinem justi pretii: nec sit in illo loco statutum certum pretium, pro quo vendi debeat. *De qua conditione plura videre licet, apud Molinam ubi supra clausula 14. apud Lessium dubit. 7. & dubitat. 17. num. 95. Cencium quæst. 73. à numero 17. Filiucium ubi suprà cap. 1. num. 270. & cap. 3. num. 323.*

In hoc videntur omnes convenire, quod, si emptor censûs, contentus sit minori pretio, quàm emptus sit, redimi id licitum esse, *ut refert Bonacina ubi suprà 43.* ob rationem: quia unicuiq. licet juri in favorem sui introducto, renuntiare.

Quantum ad illam conditionē Bullæ Pii V. *Sicut etiam annulamus pacta continentia, onera ad eum spectare, ad quem aliàs de jure & ex natura contractûs non spectarent.*

Scien-

Sciendum est: quòd emptor censûs, non tenetur ad solutionem onerum, quæ, rei censui suppositæ imponuntur, v.g. tributa, & similia onera, *ut annotavit Franciscus Leo, in suo thesauro; fori Ecclesiastici cap. 30. num. 42.* Rationemq; *num. 48.* reddit. Quia Dominus census non emit rem ipsam, neq; annuum redditum rei: sed solum jus exigendi certam pensionem super illa re impositam, ut communiter concludunt Doctores: Ideo non esse contra naturam contractus censualis, si ineatur pactum, ne emptor censûs teneatur ad illa onera, quæ rei censuatæ imponuntur, sed solutio ejusmodi onerum, spectet ad Dominum rei censuatæ.

Nec obstat, quæ in contrarium adferri solent.

Et primo non obstat: quod onus inpositum rei, sequatur rem quocunq; ierit, *ut habetur in Clementina 1. ibiq; Glossa in verbo solita & in L. rescripto, §. sciendum; ff. de muneribus & honoribus.* Unde, cum emptor census, percipiat pensionem ex illa re, super qua impositus est census, pro rata videatur teneri subire onera: cum etiam jure naturali consonum sit, ut & ille onera subeat, qui commodum sentit: *juxta tex in d. Clementina 1.* Jurisq; trita regula est *in cap. Qui sentit de regulis juris lib. 6. decretalium, ubi dicitur.* Qui sentit commodum; ille sentiat & incommodum. Nam supra jura allegata procedunt, in venditione fundi, per quam transfertur utrumq; dominium, tam directum, quàm utile. Jam autem in emptione cen-

sus

censûs, nullum dominium rei censuatæ transfertur in emptorem, censûs, sed remanet penes Dominum fundi censuati, & illius remanet possessor. *Ita Franciscus Leo ubi suprà, num.* 50. *&* 53. ubi subjungit: tam ante dictam Bullam Pii V. quàm post ejus publicationem in tota Italia, etiam in Urbe Romana, res censuatas semper remanere liberas ab omnibus oneribus fundo censuato impositis.

Item *tenuit & Rota Provinciæ Marchiæ post Gratianum, post disceptationes ejus forenses, decis.* 20. *Ita & Surdus lib.* 2. *Consiliorum. Consil.* 162. *num.* 26. *& sequ. Facit etiam textus in L. Imperatores, ff. de publicat. & in L. finali Cod. sine censu vel reliquis. De quo Cencius quæst.* 1. *& quæst.* 52. *plenius tractat. ad quem, curiosum lectorem remitto.*

Ex quibus verbis, concludunt Doctores, Contractus censuales post publicationem istius Bullæ, non servata forma in ea præscripta, esse irritos, & usurarios, in foro exteriori. Quia, cum Summus Pontifex præscripsit formam contractus censualis in futurum celebrandi, ejusmodi forma est necessariò servanda, *per text. in L. Julianus, ff. tit. ad exhibendum.* Ubi dicitur; Quod forma, dat esse rei, & ad unguem servanda. Aliàs, illa omissa, actum esse nullum & vitiosum. *Ut Rot. Rom. decis.* 72. *parte* 1. *diversorum, & communiter Doctores.*

An autem in foro conscientiæ, omissio istius formæ liget? Controversum est inter Doctores, *ut vid. est apud Navarrum loco citato, & apud Benacinam dic. p. re uni-*

unica, num. 45. ubi, pro & contra opiniones & rationes adfert. Et illis relictis adhaeret opinioni affirmativae, quem videre potest curiosus lector. Et ego, non immoror, cum non sit intentio mea tractare ea, quae ad forum conscientiae spectant.

Illud tantum adjungo. Quòd licèt sit communior Doctorum opinio, Bullam Pii V. Summi Pontificis, non ligare in illis locis, ubi non est publicata, nec recepta, ut pulchrè deducit *Lessius cap. 22. dubit. 13.* concludens non sufficere publicationem Romae factam; non deesse tamen Doctores contrarium sentientes, *ut videre licet apud Filiuc. dic. cap. 3. num. 316. & plenius apud Cencium quaest. 24. num. 40.* Idq; ob rationem: quia dicta Bulla edita est ad evitandum peccatum usurae, unde ab omnibus esse servandum: sic etiam *Cardinalis de Luca, volum; 1. sub tractatu de Censibus: discursu 1. à n. 7.* subjungit Bullã praefatã esse servãdã in Tribunalibus, Spiritualibus, & quod in Curia Romana irrideretur, qui sustinere vellet, validitatem censuum creatorum post publicationem dictae Bullae, spreta dicta forma à Pio V. Summo Pontifice praescripta. Sicut etiam irrideretur (inquit ille) in Hispania Catolonia, & in aliis Regnis, ubi non est recepta, & maximè extra Provincias non immediatè subjectas Summo Pontifici. Sed ego haec consideranda & cogitanda aliis relinquo, & pro pleniori intellectione istius materiae, remitto ad *Molinam, Navarrum, Lessium, Filiucium, Bonacinam, & Cencium locis citatis.*

Id verum est; Quod dicta Bulla Pii V. non annullat contractus censuales, ante publicationem illius, sub alia forma celebratos ut patet ex verbis ipsius Bullæ *Proinde incumbit Judicibus inspicere, quo tempore contractus censualis super quo controversia oriretur; esset celebratus.* Et si fuerit celebratus ante Bullam, posset Judex judicare, non servata Bulla, dummodo aliquid non sit contrarium juri naturæ, vel in communi & juri naturæ, & contractus censualis.

ARTICULUS PRIMUS,

In quibus bonis, & à quo potest imponi census?

COncludũt Doctores: quòd quilibet potest imponere censum, super suis fundis, quorum habet directum dominium, & proprietatem, *Allegantq; textum ex extravaganti Martini V. & Calixti III.* in illis verbis, super bonis suis, super bonis eorum. Illudq; dominium debere esse dicunt tempore impositionis census, aliàs si supervenerit, non validari contractũ. *Ita Giurba decis. 24. Cencius quæst. 14. ubi subjungit.* Quòd sustineretur, licèt postea illud Dominium, aliquo casu resolveretur.

Hinc infertur primò, quòd census non potest constitui super re aliena, & si fuerit impositus, impositio erit nulla: tanquam facta sine fundo, seu non in fundo. *Ita Navarrus ubi suprà num. 118. & numero 131. Rota Romana, decis. 309. num. 6. & decis. 329. post Cencium, & ipse Cencius, dic. quæst. 14. à numero 6.*

Quod tamen limitatur. Nisi fuerit impositus aécedente consensu proprietarii. *Ita Navarrus dicto num. 131. Cencius dic. quæst. 14. num. 8. Doctoresq; ab eo citati, quorum opinionem Rota Romana, decis. 14. post Cencium amplexa est.*

Sufficeretq; tacitus consensus, resultans ex præsentia & taciturnitate proprietarii, tempore impositionis census. *Ita Cencius loco citato num. 9.*

Advertunt tamen Doctores. Quòd Dominus proprietarius consentiens in impositionem census super re sua, possit petere ab imponente, relevationem nō obstante suo consensu. *Ita Cencius dic. quæst. 14. num. 10. & Rota Romana decis. 150 post Cencium.*

Sicut etiam, imponens censum super re aliena, absq; consensu Domini illius fundi, licèt non præjudicet Domino, *ùt scripsit. Cencius ubi suprà, numero 11. & tenuit Rota Romana decis. 15. & decis. 16. post eundem Cencium.* Tamen impositio illa sustinetur in præjudicium imponentis, ad effectum, ut teneatur ad interesse, *ùt Cencius ibidem, & Rota Romana decis. 15. & decis. 448. num. 4. post Cencium.*

Notant tamē Doctores. Quod si emens censū, scivit circa impositionem ejus, rem esse alienā, nō potest bona conscientia censum recipere, absq; onere restitutionis, similiter, si postea rescivit; nam à die scientiæ non possit percipere, & si percipit, teneatur ad restitutionem. *Ita Rota Romana decis. 309. post Cencium, & Rota Maceratensis, decis. 13. & seq. post disceptationes forenses Gratiani.*

Quæret

Quæret aliquis. An saltem respectu interesse possit recipere talem censum? Et respondeo controversum esse inter Doctores Affirmativam opinionem tenet *Bonacina in tractatu de censibus parte 3. num. 44. & alii.*

Contrariam opinionem, firmissimè tenet; *Cencius dic. quæst. 14. à num. 4.* respondetq; ad motiva opinionis affirmativæ, moveturq; authoritate *Rotæ Rom. decis. 309. post Cencium.* ubi Rota resolvit, quod emens scienter censum super fundo restitutioni supposito, tenetur agere ad rescissionem contractus, & consequenter, emens taliter censum, non possit prætendere aliquod interesse: idq; *per text. in L. Si fundum ibiq; Glossa & Doctores, Cod. de evictionibus.*

Tamen id limitat: si tempore emptionis & venditionis census, fuit facta inter partes conventio: ut venditor teneatur, omni casu, ad damna & interesse. Nam data etiam scientia emptoris census, quòd impositus sit super re aliena; propter illud speciale pactum, possit consequi interesse: *idq; per text. in dic. L. Fundum, & per decis. Rotæ Romanæ apud Seraphinum decis. 785. num. 7.* Et tantò magis id procedere dicit, si pactum illud fuerit juratum.

Dicta tamen conclusio. Quòd census, debeat imponi super bonis suis, & non super alienis.

Restringitur in minore. Qui licèt sit Dominus rerum suarum, tamen, non potest imponere censum super illis, absq; solennitatibus requisitis, hoc est: cum assistentia Curatoris, ex causa justa necessitatis,

& interventu decreti à Judice competente. *Ita Tollerius in practica sua censuali in verbo: hujusmodi, num.* 38. *Redoanus in tract. suo de rebus Ecclesiæ non alienandis, Cencius quæst.* 15. *Rota Romana, decis.* 21. *& decis.* 309. *post Cencium.*

Quamvis, si solum decretum, Judicis competentis intervenerit, etiam omissis aliis solennitatibus, sufficere illud, tenuit *Cencius dic. quæ.* 15. *à num.* 18. *& Rota Romana, decis.* 22. *post Cencium.* Ratioq; redditur: quia pro decreto Judicis, præsumendum est, quô ad solennitates requisitas, idq; pro justitia & validitate contractus, seu decreti.

Si tamen minor, effectus major censum solvit; per illam solutionem convalidatur contractus, absq; dictis solennitatibus à jure requisitis, factus. Ita ut amplius non possit illius validitatem impugnare, *ut scripsit Cencius, ubi suprà, à num.* 21. *& tenuit Rota Romana decis* 19. *idq; per text. in L. Si præteritus, ff. de bonorum possess. contrahen. & in L. si proponas,* §. 1. *de inofficioso testamen.*

Ampliatur, Quòd tantò magis procedat. Si minor factus, major per quadriennium tacuit, nec reclamavit dictæ impositioni census per tutorem factæ. *Ita Menochius Consil.* 439. *numero* 48. *lib.* 5. *Consiliorum & in tractatu de recuperanda Possessione, Remedio* 15. *num.* 142. *& num* 248. *Cencius ubi suprà, à num.* 23. Ratioq; redditur, quia ex dicta taciturnitate, per quadriennium resultat ratificatio præcedentis impositionis census nulliter factæ in minorennitate, saltem ex novo consensu:

ita

ita, ut non possit amplius de nullitate illius opponere; *per text. in L. 1. & 2. Cod. si major factus, & finali. Cod. eodē.*

Dixi ex casu necessitatis, v.g. si urgeat æs alienum ipsius minoris, vel causa dotandi sororem, vel in usum meliorationis bonorum necessariæ, vel aliam similem causam, Communiter enim dicunt Doctores, solam causam utilitatis non sufficere, v.g. si fiat pro extinguendo alio censu simili, vel minoris pretii. Ratioq; redditur: Quia in hoc casu versaretur utilitas minoris: cùm non possit cogi ad extinctionem censûs. Et multò magis dicunt esse nullam impositionem censûs, si census sit extinguendus, esset majoris summæ, quàm ille qui imponitur. *Ita Rota Romana decis. 25. & decis. 28. post Cencium.* Sed hæc apud nos non servatur, & tam respectu necessitatis & utilitatis, & extinctionis alterius census, venduntur census.

Infertur secundò; Quòd, super beneficio, vel fundis Ecclesiæ non potest à Prælato, vel beneficiato imponi census; absq; solennitatibus, in alienatione rerum Ecclesiæ de jure requisitis. *Ita Redoanus ubi suprà, cap. 17. à n. 26. Rota Rom., decis. 350. par. 2. Recentiorum Novarrius in Bullarium par. 1. quæst. 48. num. 32. Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis. 49. & decis. 79. sub titul. de alienatione rerum Ecclesiæ.*

Ratioque redditur; quia impositio census est species alienationis: unde in impositione ejusmodi census, requiruntur solennitates quæ debent adhiberi in alienatione bonorum Ecclesiæ. *Alias rationes adfert Filiucius in tractatu 35. par. 2. cap. 2. à num. 301.* Et

Et in dicta decisione 71. *ampliat Riccius*, Etiam in reductione census ex causa sterilitatis, & refectionis melioramentorum facta: vel in diminutione census, ut refert se audivisse in Civitate Neapolitana: quæ Civitas cùm habuisset plures contractus censuales cum diversis Ecclesiis, ac locis piis, & pro quolibet centenario, septem aureos annuatim solvebat. Verùm cum Annô Domini 1613. dicta Civitas universaliter omnes contractus tam cum Laicis, quàm cum Ecclesiis, ad sex pro centenario reduxit, in tali diminutione petitus & obtentus fuit consensus Apostolicus. *Ita Riccius ubi suprà.*

Qui insuper, *in dic. decis.* 71. *num* 6. subjungit: quod, si contractus censualis, cum Ecclesia initus, nullus & invalidus ob non servatas solemnitates, fuerit ad invētus & declaratus nihilominus Ecclesia tenetur restituere sortem principalem: atq; ita fuisse decisum per Rotam Romanam refert. Aliàs enim Ecclesia locupletaretur cum injuria vel jactura alterius: quòd est contra vulgatam juri regulam, *in cap. locupletari. de regulis juris, lib.* 6. *decretalium*, & maximè cùm Ecclesia sit cultrix justitiæ, non debet cuiquam præjudicare, *ut habetur in cap. Per tuas tit. de donationibus, & Glossa finalis ænnotavit in cap.* 1. *de restitutione in integrum, de quo videatur & Cencius quæst:* 24. *decisiones Rotæ Romanæ, post Cencium, utpote in decisione* 27. 36. 40. 314.

Notandum hìc. Quò I justa causa impositionis census à Prælato, vel alio beneficiato, super bonis Eccle-

siæ

siæ dicitur. Si hujusmodi census impositio fieret pro alio censu extinguendo, pro quo, majori interesse gravaretur. *Ita Riccius dicta decis. 49.*

Idem, si fieret à Capitulo, pro sustinendis litis expensis, *per textum, Glossam, & Doctores, in cap. ut prætenitæ, de electione.*

Infertur tertiò. Quod nec Emphyteuta, super bonis Emphyteuticis, absq; consensu Domini Directi: *Ita Novarrus: ubi suprà num. 126. Bonacina dicto pun: Unico, num. 12. Novarrius in Bullarium parte 1. quæst. 48. à num. 27. pro qua opinione facit textus in L. 2. Cod. de jure emphyteutico, & in cap. Potuit tit. de locatione,* in quibus juribus emphyteutæ prohibetur alienatio rei emphyteuticæ.

Cencius tamen *in quæst. 22.* pugnantes inter se opiniones, distinctione hac conciliare conatur. Aut directus Dominus, in concessione emphyteusis ultra tacitam prohibitionem alienationis inductam, per dictã *L. 2. & dicto cap. Potuit.* providit sibi etiam de expressa prohibitione: aut contentus fuit de sola illa prohibitione Legali.

In *primo* casu, dixit opinionem *Novarrii*, & aliorum procedere, & impositionem census, à principio esse invalidam.

In *secundò* autem casu; opinionem affirmativam procedere: quod Emphyteuta, censum super bonis Emphyteuticis, etiam absq; consensu Domini directi perpetuo duraturam, imponere valeat. *Cujus opinionis*

nionis fuit Tollerius, ubi suprà. Redoanus quæst. 27. num. 24. & alii Doctores quos refert Cencius dic. quæst. 22. n. 1.

Subjungit tamen *Cencius ibidem num.* 8. Quod licèt in hoc casu possit imponi census, ab initio validus, sed tamen resolvendus est cum jure ipsius Emphyteutæ.

Et dictam distinctionem *Cencii amplexa est Rota Romana apud Seraphinum decis. 794. num. 9. parte 1. & decis. 129. à num. 2. par. 2. & decis. 502. post Cencium.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Quis teneatur ad solutionem census?

COmmunis opinio Doctorum est; quòd ad solutionem census tenetur ille, qui fundum, super quo census impositus est, possidet: etiamsi nunquam solvisset. *Ita Gratianus, in disceptationibus forensibus, cap. 141. à num. 3. Collerius in practica censuali, in verbo: hujusmodi, num. 96. & alii passim, & præcipuè Cencius quæst. 78. ubi refert ita fuisse à Rota Romana, decisum decis. 191. post Cencium, & decis. 517. vide eundem Cencium, & quæst. 92. à numero 14.* Ratioq; redditur: quia cùm Census adhæreat fundo, ad quemcunq; pervenerit ille fundus, cum onere suo transit, *ut habetur in L. Hactenus, & in L. Si pendente §. si quid locatum ff. de usufructu & in L. Neque stipendium, ff. de impensis in re dotali factis.*

Ampliaturq; conclusio. *Primò*; quod in tantum possessor fundi censui subjecti teneatur ad solutionem census, ut possit cōveniri non facta excussione principalis

cipalis debitoris, seu venditoris census. *Ita Gratianus loco citato, Doctoresq; ab eo allegati & Cencius dic. quæstio. 78. num: 5. & communiter Doctores.*

Ampliatur *secundò*; etiamsi possideat tanquam Emphyteuta. *Cencius ubi suprà num.* 14.

Ampliatur *tertiò:* Etiamsi possessor sit mediatus: & transisset fundus per mille manus, ita signãter definivit. *Rota Romana, dic. decis.* 517. *num.* 3.

Circa quod videtur distingvendum. Aut aliquis possidet fundum censuatum, tanquam Hæres vel Successor, aut possidet alio titulo, v.g. emptionis, conductionis, seu arendæ. In primo casu; possidens jure hæreditario vel successionis, tenetur ad solutionẽ omnium censuum, etiam tempore antecessorum retentorum: ob tritam regulam juris. Qui succedit in bona, succedit etiam in onera. Et qui succedit in jus alterius, eo jure uti debet, quo ille. *ut habetur in cap. Si quis, de regulis juris in 6. lib. Decretalium;* Qui sentit commodum, sentiat etiam incommodum, *L. secundum naturam ff. de regulis juris, & in cap. Qui sentit de regulis juris in 6. Decretalium.*

Aut possidet alio titulo ut diximus, & non tenetur, nisi à tempore suæ possessionis. *Ut colligitur ex decis. Rotæ Rom:* 391. *n,* 4. *post Cencium, dum inquit:* Tertius autẽ tantũ est obligatus solvere censũ, dum est ejusdẽ rei possessor: *allegatq; texũ in L. finali, §. finali, ff. de contrahenda emptione, Ægidium Cons.* 21. *circa medium, ver.* 3. *Covarruv. lib.* 3. *variarũ resol. cap.* 7. *n.* 6. *ver.* Hinc etiam deducitur.

Limitatur. Nisi forsan, susceperit onus solvendi etiam census retentos ante adeptam poss. ssione. Quid autem in Judiciis nostris Castrensibus servetur, ex infra dicendis patebit.

Sic etiam in Consistoriis nostris Spiritualibus, solet de benignitate aliquando concedi dilatio citato pro solvendo censu, ad conferendũ cum Domino censuati.

Similiter, emptor vel conductor fundi censuati, condemnatur tantùm, ad solutionem censûs à tempore possessionis suæ, salvâ actione reservatâ illi contra venditorem vel locatorem.

ARTICULUS TERTIUS.

De dispositione Regni Nostri, & Magni Ducatûs Lithvaniæ circa census reemptionales.

EX dispositione juris Regni, lata est const tutio in Comitiis Generalibus *Annò Domini* 1635. *sub titulo* O Wyderkaffach *fol.* 9. *tenoris sequentis: Census reemptionales, aliàs* Wyderkaffy *Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Academiis, & aliis personis Ecclesiasticis, (reservando totaliter in suo r obore antiquas inscriptiones) inposterum, totaliter affectamus: ut bona in vim reemptionis, aliàs* ná wyderkaff *obligata, & per intromissi nem data in possessione hæredum remaneant, solvendo illis censum annuum, juxta summam spectantem, per septem à quolibet cëtenario: noturam quoquè inseriptionum reemptionalium alterare nemini licebit, quæ in hoc consistit, ut quolibet die, &*

hora

hora praevia citatione peremptoria, ad Judicium Castrense;
quae intra spatium duodecem septimanarum ante reemptio-
nem (alias wykupnem) debet assignari & decerni, libe-
rum erit haeredi reponere & numerare summam perceptam,
cum reali emundatione bonorum suorum juxta jus antiquũ,
de exemptionibus bonorum Terrestrium. Quàm summam
si ille, qui illam dedit nolit accipere: debet illam haeres de-
ponere, vel apud Loci ordinarium, aut apud Capitulum: aut
si Capitulum tergiversaretur, tunc apud Judicium Castren-
se proprium cum sufficienti quietatione, cautione: & tali
modo liber remanere debebit, à solutione summae, & Censûs,
ab illa provenientis, & in posterum nullam difficultatem ju-
ridicam habebit. Et ne, in fraudem & elusionem legis prae-
sentis, sub praetextu inscriptionum Wyderkaffow, bona
Terrestria à statu Nobilitatis amittantur, non poterit
aliquis, majorem summam accipere, & inscribere, in bo-
nis suis, tantum talem; quae dimidium valoris ejusmodi bo-
norũ non excederet; aliter faciens, debet per quemcunque,
ad judicium Terrestre illius Districtus deferri. Et Judi-
cium Terrestre. in terminis (alias ná Rokách) in facie
Nobilitatis, debet discernere ejusmodi controversiam: &
remittere causam ad Tribunal Regni inter causas mixti
fori ad rescindendum Contractum, respectu autem solutio-
nis ejusmodi censuum, forum & processum ná Qwerellách
sine quavis appellatione assignamus. Cujus quidem execu-
tionem non debet citatus neq; citationibus ad cassandam,
nec sublevationibus retardare: sed Capitaneus in bonis ju-
re victi, debet eandem executionem facere, semotis omni-

 bus

bus diffugiis, sub pœna trecentarum marcarum, & in realem possessionem bona tradere huic, cujus summa est: qui in possessione eorundem bonorum tamdiu remanere debet, quousquè aliquis, sive proximior descendentis, sive alius ordinis & status Equestris, non persolverit census retentos. Hucusq; verba dic. Constitut.

Circa quam Constitutionem dum reflexionem facio, video, quòd dicta constitutio sit lata de censibus Ecclesiis, Monasteriis. Hospitalibus, Academiis, & aliis Personis Ecclesiasticis (ut patet ex tenore ipsius) debitis, non autem de censibus, sæcularibus personis debitis.

Item non reprobo hanc constitutionem, cùm videatur in multis conformis Bullæ Pii V. Summi Pontificis, v.g. quod in Bonis immobilibus collocetur: ut tantùm septemfloreni à quolibet centum floren: persolvantur: ut in casu repositionis summæ principalis denuntiatio fiat.

Id tamen dubium habeo: an in Comitiis personæ Laicæ, in causa Ecclesiarum & Personarum Spiritualium, & locorum piorum, eandem Constitutionē potuerint facere, & forum in Judicio sæculari assignare: cùm talia spectent ad Summum Pontificem, vel ad Synodum Provincialem, & maximè si fuerit à Sede Apostolica approbata.

Ratio mei dubii est; quia in Constitutione Provinciali Gnesnensi, ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Laurentio Gembicki, DEI & Apostolicæ

Sedis

Sedis Gratiâ, Archi-Episcopo Gnesnensi, Annô Domini 1621. Petricoviæ celebrata, & à Summo Pontifice approbata; sub titulo *de Jurisdictione Spirituali cap. 2.* statuitur tenoris sequentis. *Ad retinendam Spiritualem] Jurisdictionem pertinet, ut Ordinarii locorum, Clericis, citationes, monitoria, & alia juris remedia, contra Nobiles Laicos, in causis decimarum, censuum, & aliis ad forum Spirituale pertinentibus, sine respectu Personarum, extradi ab Officio Ordinario mandent.*

Non diffiteor, quodsi contrahentes in inscriptione apponant, ut vendens censum, & eum non persolvens in Castro respondeat, in tali casu spectare causam ad Judicium Castrense: ex quo partes forum illud sibi elegerunt: qua visa clausula solet Judicium Spirituale, causam remittere ad Judicium Castrense, sed si apposita sit clausula in inscriptione, ut hic (hoc est in Judicio Castrensi) vel in Judicio Spirituali respondeat, non video causam, cur tantum in Judicio Castrensi debeat agitari, cum in tali casu vigore dictæ clausulæ appositæ in inscriptione, possit Judicium Spirituale procedere, siquidem optio & liberum arbitrium sit Actori reservatum agendi, in utroq; foro, sed hoc dubium meum subiicio Judicio doctiorum me.

Nunc venio ad ea quæ scripserunt Jureconsulti Poloni in tali causa.

Et primò; Quòd licèt antea, pro valida impositione censûs, requirebatur consensus Regius, nunc in praxi id non servari; *ut testatur* Zawádzki *in suo processu*

cessu sub titulo de inscriptione Census in vim reemptionis fol. apud me 32

Secundo; Quòd nullo tempore præscribitur solutio census: sed illum possessor fundi censuati teneatur solvere. *Ita Zawadzki, ubi suprà: colligiturq; ex statuto Herburti sub verbo: census perpetui solo annexi, prout & Bulla Pii V. disposuit.*

Nihilominus in Tribunali Regni nostri practicatum est. *Annô Domini* 1594. (*ut refert Zawádzki loco citato fol. apud me* 331. quòd possessor à longiori tempore non debeat censum persolvere, nisi à tempore suæ possessionis: nisi cum antecessore, actio esset eo nomine intentata. Rationemq; reddit; quod evictio pro ejusmodi censu non procedit, nisi expressè cautum sit. Tum, quia alter pro altero solvere non teneatur. Tum quia quilibet in re sua debet esse diligens. Si itaq; Dominus census, in exigendo censu negligens fuit: juraq; vigilantibus, & non dormientibus suffragãtur; videtur quod illa judicata, habeant aliquã rationẽ pro se, quòd tamen censerem procedere juxta distinctionem à me supra allatam.

Sed etiam vidi multa decreta Castrensia, quibus, emptori bonorum censui subjectorum, injucta erat solutio omnium censuum, etiam ab Antecessore retentorum, & non persolutorum: salva actione eidem reservata contra evictorem, respectu evictionis factæ.

Quamvis in tali casu regulariter dilatio ad evictorem non datur, sed possessor fundi censuati condemna-

mna-

minatur ad solutionem. *ut scripsit Zawádzki in processu suo sub tit. 5. de dilationibus, folio apud me 373.*

Tertiò notandum: Quòd Tenutarius bonorum censu reemptionali oneratorum, poterit pro solutione census citari, tam ad Judicium Castrense, quàm Terrestre; *ut scripsit in processu suo folio apud me 37.* Sed hodie regulariter citatur ad judicium Castrense, ubi inscriptio facta est: nisi apposita sit clausula, quòd Dominus seu possessor fundi censuati, possit conveniri tam coram Judicio Castrensi, quàm Terrestri, & etiam Spirituali: quia stante tali clausula, Dominus census potest convenire debitorem census, coram quo voluerit ex prædictis. Quidquid *Zawádzki in processu suo folio apud me 32. scripserit*. Quòd obligans se coram actis Castrensibus, ad respondendum, in Judicio Spirituali, non teneatur respondere in Judicio Spirituali, & sic in praxi servatur. Nam non video justam causam, trita juris regula est: Quòd contractus, ex conventione partium, legem accipiunt, & quam viam sibi aliquis elegit, eadem ambulare debet.

Nec obstat, quod vigore contractus & inscriptionis, coram actis Castrensibus factæ sortiatur quis forum. Nam hoc procedit, nisi partes contrahentes inter se aliud forum sibi elegerint & constituerint.

Quantum ad Magnum Ducatum Lithvaniæ, Extat Constitutio *Anni Domini* 1673. *folio apud me* 19. *sub titulo Reassumptio* Konstytucyi o wyderkaffach *in Constitu-*

stitutionibus Lithuanicis tenoris sequentis, Constitutionem Annó 1635. o wyderkaffach, in toto reassumimus, juxta quàm, tam Spirituales in exigendo, & percipiendo censu, septem à quolibet centum & non plus, quã & sæculares in persolvendo termino, in toto debent se gerere; (aliàs záchowáć) Et quia in hoc Ducatu accidit, quod Spirituales Personæ, non agendo jure respe ctu solutionis census, & alii consultò non accipiendo in termino præfixo, violenter bona occupant. Ideo obviam talibus inconveniẽtiis statuimus: ut quilibet Spiritualis nemine excepto, si possessor bonorũ pro termino assignato non persolvat: nemini faciendo violentiam, nec bona occupando, respectu non solutionis, jure juxta dictã Constitutionẽ, in Judicio competenti agat, & quilibet injuriatus à Persona Spirituali, tam ante, quàm post, eandem citet ad Tribunal Rotæ Compositi Judicii Vilnæ, & ejusmodi causæ absq; ullis dilationibus judicentur; & restitutionem bonorum, cum pœnis & damnis per actorẽ legitimè & sufficienter probatis, Judicium Ttibunalitium debet decernere.

Et postea *in Constit. Anni* 1678. *fol.* 20. *fit reassumptio Constitutionum* o wyderkaffach, *Anni videlicet* 1631. 1635. & 1673. ut nemo audeat majorem summam in bona Terrestria dare & accipere, quæ excedat valorem medietatis bonorum, respectu cujus forum in Tribunali illius Ducatus assignatum est: & expulsio per decretum decreta approbatur.

Hìc tandem ex incidentia materiæ, quæritur *primò*,

an æquum sit, census Ecclesiasticos in sustentationem Spiritualiũ Personarum à piis Fundatoribus designatos, in medietate rescindi? Non apparet id legibus Regni concessum esse; imò ut totales census per septem à centum Spiritualibus persolvantur, clarè disponit Constitutio superiùs adducta *Anni* 1635. *folio* 9. *tit.* o *Widerkaffach*, cavetq; præterea ut Naturam Inscriptionum Reemptionalium alterare nemini liceat. In Constitutione quoquè Grodnensium Comitiorum *A.* 1726. *tit. Trybunał*, § .*Kontrakty fol.* 46. præcustoditum esse legitur, ut census monetâ in contractu expressâ, valore autem currenti (nullâ factâ mentione de rescissione) emptoribus census exolvantur. Nisi se Domini Bonorum censibus Reemptionalibus obligatorum tutari velint, casibus fortuitis, utpote bello, sterilitate aut aliqua alia communi in Regno calamitate, attamen circa hos casus fortuitos lege communi disponitur, quòd unus annus vg. sterilitatis altero fertiliori sit compensandus, adeoq; non statim diminutio est petenda, vel si petenda: tunc petenda est pro ratha diminutionis fructuum, non verò omnino medietatis provenientis census, idq; non privata Authoritate sed vel conventione cum Spiritualibus Personis, vel consensu Superiorum Ecclesiasticorum, super hujusmodi cesuum rescissione accedente, qualem olim consensum Episcopos Poloniæ, ad petitionem Casi niri III. Regis, in Comitiis Petricoviensibus *Annò* 1456. „durante acri bellò cum Cruciferis præ-

buisse; ut medietas omnium censuum Ecclesiasticorum & Decimarum pecuniariarum non verò manipularium cederet in stipendia militiæ Polonæ, meminit *Joannes Długossus* Historiæ Polonicæ *lib.* 13. *fol.* 182. & 194. Quadrat quòd legitur de Ecclesia Nitaviensi & Guldinensi in *Constitutione Anni* 1661. *folio* 20. *tit. Kośćiola Nitawskiego.* Quadrat itidem Decretum Tribunalis Regni Petricoviensis Feria 3. post Dominicam Septuagesimæ, *Annô* 1741. inter Magnificam Theressiam Kruszyńska Castellanā Gedanensem Actricem & alios latum, quo mediante à summa 20000. florenorum Prutenicæ monetæ Census retenti ab Actu Inscriptionis ad *Annum* 1733. totales, ab *Annô* 1733. ad *Annum* 1736. per medium, ab eodemq; *Annô* ad Actum solutionis itidem totales persolvantur.

Quæritur *secundò*; An ratione censuum forum potius sæculare, quàm Spirituale accedendum? Quamvis superius hoc articulo luculenter satis de hac re tractatum est; pro pleniori tamen quæstionis istius resolutione præstat superaddere, forum Judiciale dupliciter considerari, vel ratione Personæ sæcularis Bonorumq; itidem sæcularium, vel ratione rei, qualis est v.g. census Ecclesiasticus. Si ergo Spiritualis aliquis personam sæcularem convenit in foro sæculari facit hoc respectu Bonorum & Personæ foro sæculari subjectorū, quia Judex sæcularis potest non solùm Personam talem censum solvere recusantem condemnare, sed etiam super ipsius bonis in casu reniten-

tiæ

tiæ sortem & finalem executionem facere, præcisa omni motione ad superius Tribunal. vel bona censu Reemptionali onerata ad proportionem summæ Capitalis exdividere, & Actorem in ea intromittere, quod quidem Judex Spiritualis præstare nequit. Si verò eandem ipsam Personam omisso foro sæculari convenit coram Judice Ecclesiastico, ratione rei Ecclesiæ vel rei quoquomodo ad Ecclesiã spectantis, *vg.* Census aut Decimæ, tunc persona illa sæcularis, stante etiam eo quòd Spiritualis Forum sæculare in Inscriptione apponi permisit, sortietur forum Spirituale, quemadmodum viceversa Persona Spiritualis licèt sit jure exempta à Jurisdictione Judicum sæcularium, sortitur forum sæculare ratione bonorum in censu suo obligatorum; quando nimirum à sæculari Persona venditore hujusmodi census convenitur ratione v.g. potioritatis Bonorum, male obtenti processus, cassationis etiam condemnationis super se obtentæ, aut ipsiusmet Originalis Inscriptionis. Deinde advertendum est, quòd in prædicta Constitutione *Anni* 1635. intitulata *o Wyderkaffach,* determinante pro Censibus forum sæculare, nulla mentio est facta revocationis statuti Sigismundi Regis in Conventu Cracoviensi *Annô Domini* 1543. *verbo Spirituales* tit. *quas Census.* §. *item ad Judicium Spirituale apud Herburtum* contenti, quo mediante decisum est ad Judicium Spirituale spectare Incantationes, magias, Census perpetuos Ecclesiasticos Terrestres & temporales, reempitiones

ones, dotationes hoc est *poświątne* & alia prout debebat fieri ad eum effectum ut Spiritualibus præcluderetur via citandi venditores Bonorum censu obligatorum, ad Forum Ecclesiasticum: Privilegium enim aut rescriptum prius, si in subsequenti Privilegio aut rescripto de ejus revocatione nulla fuit facta mentio, non censetur esse revocatum. Cum igitur in dicta Constitutione non legitur de revocatione memorati Statuti Sigismundi Regis ob sopiendas differentias inter Statum Spiritualem & Statum sæcularem ratione competentiæ fori, lati, ideo vigore ipsiusmet statuti videntur posse Spirituales de censibus convenire in Foro Ecclesiastico Personas sæculares, secus vigore dictæ Constitutionis.

Quæritur *tertiò*; An de jure sit, quòd quandoq; Judices sæculares Personas Spirituales ad Inscriptionem de censibus retentis agentes, non deducta per eos hujusmodi census possessione, cadere faciunt in causa? Respondetur negativè: cùm enim triplex sit via agendi, prima Jure petitorio, altera Jure possessorio, tertia Jure petitorio ex possessorio simul, liberum est Actori si nō petitorio & possessorio simul, tunc saltem petitorio jure contra venditorem census procedere, & si tale jus petitorium fuerit clarum omniq; dubietate absolutū: debet actor omnis penes illud manuteneri & lucrari census pro quibus agit, quia contra Inscriptiones, obligationes, & oppignorationes, nulli hominum, nec etiam Procuratoribus relinquitur locus

dicen-

dicendi. Nec obesse debet defectus possessionis percipiendorum censuum in eadem Inscriptione appositorum, quia tali defectu possessionis non tollitur Inscriptio, sed duntaxat quietatione officiosa, nec venditor census, & ejus Successores liberos se à solutione jactare possunt ex eo, quòd debitos census, triginta vel quadraginta annis non persolvebant, nam in Causis Inscriptionum Reemptionalium non currit præscriptio, prout declaratur *Constitutione Anni* 1633. *folio* 26. *tit.* o Preskrypcyi *&* *Constit. Anni* 1638. *folio* 12. *tit. Deklarácya.* Dilucide satis hanc materiam declaravit Sigismundus Rex *Annô* 1543. pro informatione omnium Judicum formam præscribens *apud Herburtum statutorum Regni, verbo, Inscriptio fol.* 29. *Porro contra Inscriptiones obligationum quarumvis jam nullus locus ulli hominum ne Procuratoribus quidem ad dicendum erit reliquus, nec quisquam controversiam atq; contradictionē contra easdem instituet & faciet, sed duntaxat eisdē inscriptionib9 satisfacere, & easdē implere juxta obligationem tenebitur, nullam motionem Judicis faciendo. Pro quibuscunq; tandem debitis & quacunque tandem tuitione roboratæ fuerint; Sed neq; ullam dilationem aut præscriptionem debitor habebit, nisi fortasse coram Judicio demonstraret & allegaret quietationem sui ratione satisfactionis pro eodem debito inscriptam, In tali enim casu semel ad futuros terminos beneficio dilationis uti debet. Quàm quidem satisfactionem sui tenebitur comprobare in futuris terminis, ex eisdem actis, ad quæ se receperit sub amissi-*

one

one suæ Causa. Plura videat benevolus Lector suprà Articulo 2. ubi docetur, quòd ad solutionem census tenetur ille, qui fundum super quo census inscriptus est, possidet: etiamsi nunquam talem censũ solvisset.

Quæritur *quarto.* An cadere debet à perceptione Census perpetui solo annexi qui super tali censu non producit Inscriptionem, producit tamen Regestra possessionem diuturnam probantia, item mentiones de hujusmodi censu in Literis venditionis Bonorum expressas? Respondetur in materia hujus quæstionis diuturnas fuisse olim dubitationes & controversias, quas dirimere volens Sigismundus Rex in Conventu Cracovien *Annô.* 1532. legem perpetuam in hunc modum tulit. *Nos Sigismundus &c. in posterum uni ab altero, quòd non esset æquum repetendi, vel Literarum super Census perpetuos diuturnitate temporis abolitarum productionem expostulandi occasio præbeatur, statuimus & decernimus cum assensu & Consilio totius Senatus Nostri; ut nemini subditorum nostrorum, cujuscunq; status & conditionis extiterint, liceat quomodocunq; directè vel indirectè reemptionem perpetuorum & solo annexorum censuum deinceps verbo vel facto contrà veterem illorum possessionem attentare, quos perpetuos esse sola veteri & diuturna possessione & circa venditiones vel Inscriptiones bonorum ad census perpetuos solvendos obligatorum mentione probari decernimus.* Herburtus verbo Inscriptio.

§. SE

§ SECUNDUS.

In quâ moneta census annuus reemptionalis solvi & redimi debeat.

PRo cujus paragraphi resolutione.

Dico *primò*; Si inter contrahentes conventum est, in qua moneta solutio, & redemptio census fieri debeat (v.g. an in moneta currente, tempore impositionis census: vel in moneta currente, tempore faciendæ solutionis, & redemptionis) tali moneta solutio & redemptio facienda est. *Ita Rota Romana decis. 218. num. 19. post Cenciū: dum inquit:* Moneta solvi debet, juxta æstimationem inter contrahentes, conventam. *Idem scripsit & Cencius quæst: 85. n. 2. Doctoresq́ ab eo citati, & alii passim.* Ratio redditur prima. Quia contractus ex conventione partium legem accipiunt. *ut habetur in L. 1. §. Si convenit, ff. de possessione: & in L. Contractus ff. de regulis juris,* Ratio secunda; quia pactis contrahentium de modo & qualitate faciendæ solutionis omnino inhærendum esse: *scripsit Bart. in L. Creditorem, ff. de solutionibus.* Tum, quia solutione ejus, quòd promissum est, omnis obligatio tollitur. *Ut est textus à principio tituli,*

tituli, quibus modis obligatio tollitur, *lib. 3. Instit. Imperialium.*

Dico *secundò* Si tempore impositionis & venditionis census, non fuit expressè conventum, quòd solutio fieri debeat, vel de moneta currente tempore impositionis census vel de moneta tempore solutionis faciendæ: sed simpliciter actum & convẽtum de solutione facienda in moneta currente; non exprimendo, ad quod tempus monetæ census, referendus sit, in tali casu, debitor non potest cogi ad solutionem & redemptionem: in moneta tempore impositionis census: sed potest solvere in moneta currente solutionis habito tamen respectu, ad valorem monetæ currentis tempore factæ obligationis, seu impositionis census: ut scilicet, si valor monetæ, sit intrinsecè tempore solutionis diminutus tanto plus, de moneta currente tempore solutionis detur: qantum valeret illa quæ currebat tempore obligationis, seu impositione census factæ. *Ita Cencius quæst. 85. à num. 6. allegando Oldradum, Consilio 250. num. 2. ubi dicit:* Si moneta immutata est intrinsecè, debet solvi de antiqua, vel habito respectu ad eam, quo ad tantùm valorem. *Ita*

&

& Mynsingerius observ. 1. Cent. 4. ubi sic inquit. Valor monetæ inspiciendus est, tempore cõtractûs, non tempore solutionis, sive valor accreverit, sive decreverit. Unde si accrevit; tunc debitor deducere potest valorem; vel incrementum illud, quod veteri æstimationi, intra tempus solutionis accessit. Sin verò quantitas monetæ intra tempus solutionis decrevit; atq; valor diminutus est; tunc debitor supplere tenetur valorem tempore contractus debiti currentem, atq; usualem, & sic regulariter solutio facienda est de nova moneta proportionaliter ad æstimationẽ antiquæ: ne utróq; casu alterutrer contrahentium plus aut minus quam datũ vel acceptum sit, reddat vel recipiat. *Atq; hoc in terminis velle videtur cap. olim causam, juncto cap. Cum Canonicis, tit. de censibus.* Hancq; sententiam tanquam veriorem, & juri æquitatiq; magis conformem, amplexi sunt Domini Assessores, Imperialis Cameræ, quam etiam fatetur communem, *Panormitanus in cap. 5. tit. de jurejurando, & Afflictus, decis. 194. hucusq; Mynsingerius. Idem tenuit Gvido Papa quæst. 493. hoc addito:* Non esse negandum, quin possit fieri solutio in moneta usuali, sive currente, tempore solutionis, ad valorem

alterius monetæ, quæ tempore contractûs in usu erat. *Idem tenuit Gail lib. 2. observ. 73. num. 2. dum inquit.* Ita se habet communis opinio, quòd valor monetæ considerandus, & inspiciendus est à tempore contractus, non autē à tēpore solutionis.

Et hanc opinionem canonizavit *Rota Romana apud Ludovisium decis. 42. ubi dicitur.* Succedit communis conclusiio, quòd, quando pecunia, in pondere, & bonitate intrinseca mutatur, solutio debet fieri de moneta antiqua, si fieri potest, vel si non potest, de nova, ad valorem tamen antiquæ *Idem & in decisione 597. parte 1. Recentiorum & decis. 149. parte 2. Recentiorum videatur & Berlichius Conclus. 35. & sequ. parte 2. Conclusionum practicabiliū; videatur & Cencius in tractatu suo, de Censibus, quæst. 85.* Ratioq; redditur. *Prima* Quia alias debitor solveret minus, quàm accepit, quòd repugnat æquitati. Ratio *secunda*; Quia Regula juris est: In omnibus contractibus, tempus contractûs initi inspiciendum esse; *ut habetur in L. Si voluntati, Cod. de rescindenda venditione.*

Dicta tamen de intrinseca mutatione pecuniæ & monetæ, *Cencius, loco citato declarat tribus modis*

Primò

Primò, Nisi tempore obligationis & contractus esset timor mutationis monetæ, illiusq; valoris. Nam si talis timor vigebat, solutionem faciendam esse juxta valorem quem moneta habeat tempore solutionis. *Ita Cencius ubi supra num. 38. allegando Abbatem, Covarruviam, Federicum Martini & alios &c. &c.*

Secundò, declarat dummodo probetur valor monetæ antiquæ. Nam si non constat de vero valore monetæ antiquæ *inquit Cencius*, potest debitor census indistinctè solvere, monetâ novâ & usuali *allegatq; Surdum consil. 335. & alios Doctores, videatur & Berlichius dicta Conclus. 35. a num. 11.*

Tertiò declarat Cencius ibidem num. 31. Si creditor recepit solutionem in una specie monetæ, pro alia, absq; contradictione Domini census, *allegatq; Surdum, dic. Consil. 335. num. 16, & alios Doctores, & cap. olim causam ibiq; Glossam, tit. de Censibus.* Idq; non solum ob rationem illam, quia volente creditore, una species monetæ, in locum alterius subrogatur: verumetiam, quia præsumitur talis facta promissio, qualis ostenditur facta solutio *ut habetur in L. Julianus, § Proinde, ff. ad Macedonianum.*

Qui usus & observantia ita solvendi suffragatur, etiamsi non esset legitimè præscripta, *ut voluit Rota Romana, decis. 211. numero 4. post Cencium. Sed Mynsingerius lib. 3. observ. 13. Gail. dicta observ. 71. contrarium sentiunt.* Idq; etiamsi præcesserit præscriptio triginta annorum, *de quo videatur Cenc. dic. quæst. 85. ubi num. 35. subjungit.* Bene verum est, quod si ageretur cum Ecclesia, necesse esset, ut una moneta pro alia esset soluta per spatium quadraginta annorum continuorum, aliàs non posset dici factum fuisse præjudicium Ecclesiæ, ut cogi possit recipere eam monetam: quæ fuit aliquando soluta, locò monetæ, quæ erat in obligatione, *atq; ita declaravit Rota Romana decis. 216. numero 4. post Cencium.*

Dixi: si mutatio monetæ facta sit intrinseca, quia si mutata vel alterata sit extrinsecùs, solutio fieri debet, juxta valorem monetæ currentem tempore solutionis, non autem juxta valorem currentem tempore obligationis; nisi aliter inter partes conventum sit. *Ita Cencius dic. quæst. 85. num. 25. Gail. dicta observ. 73. num. 9. Rota Romana apud Ludovisium, decis. 41. à num. 6. ubi dicitur; solutio*

fieri debet, secundùm pecuniam currentem tempore solutionis; vel ejus æstimationem, quando pecunia in bonitate intrinseca, non est alterata. Licèt valor ejus extrinsecus sit alteratus. *Idem scripsit & Addens ad eandem decisionem, & decisione 597. & dic. decis. 139. & perpetuo hanc distinctionem servat Rota Romana.*

Atq; ita, in hoc casu, lucrum vel damnum ad creditorem, seu debitorem spectat. *ùt advertit Gail. loco citato, & Surdus Cons. 335. num. 8. lib. 3. Consiliorum, & Rota Romana dic. decis. 597. num. 2. ad finem.*

Dicitur autem moneta mutari intrinsecè, quando cuditur de moneta viliori, vel pretiosiori, respectu ligæ, quàm antea; vel sit materia eadem, sed pondus sit variatum. *Ita Surdus dic. Cons. 335. num. 8. ad finem Cencius dicta quæst. 85. num. 26. Berlichius par. 2. Concl. practicabiliũ: concl. 35, num. 4. & alii* v. g. si aurei, qui olim ex puro auro (ut dicitur Obryzo) cudebantur, postea ex minus auro percutiantur & excudantur; vel taleri, qui olim puri argenti erant, postea ex argento, ære admixto excuduntur. *Ita Lipski noster in Semicenturia*

turia observ. 26. num. 2. Et Berlichius dic. concl. 35. à numero 5. Extrinsecè autem moneta mutari dicitur: si aureus Ungaricalis, qui sub Joanne Alberto Rege Poloniæ triginta tantum grossis constabat, pro grossis postea septuaginta, postea sex florenis, nunc pro florenis duodecem computatur. *Ita Lipski ubi suprà.*

Dico *tertiò*, Si partes contrahentes, in contractu & obligatione expresserunt certum genus, seu speciem monetæ, in qua debeat solvi: tunc de jure, tale genus monetæ, persolvi debet, si tempore solutionis extat, aliàs si non extet & reperiatur genus illud promissum, sed penitus ex usu hominum discesserit, vel reperiatur quidem, sed cum maxima difficultate haberi possit; potest fieri solutio, in alia moneta, juxta valorem & æstimationem conventæ monetæ, cum qua tamen emi possit illa moneta, deducta, in solutionem. *Ita Mynsingerius, Gail, locis citatis, Cencius dic. quæst. 83. num. 12. Berlichius parte 2. concl. practicabilium concl. 35. num. 8. Addens ad dic. decis. 42. apud Ludovisium, Rota Romana decis. 214. num. 2. & decis. sequenti num 5. & decis. 217. & decis. 119. post Cencium, & dic. decis.*

149.

140. *videatur & Berlichius dict. quæst. 35. à nu. 7.*

Hinc si conventum sit, ut solutio fieret in aureis boni aurei & justi ponderis, vel in taleris imperialibus *bank* dictis, hoc est ex Puro argento cusis, tunc solvi debent ejusmodi aurei, vel Imperiales, & non sufficeret solvere tales quales aureos, vel taleros, vel in alia moneta, si Domini Census intersit. *Ita Rota Romana dic. decis. 214. & dic. decis. 229. post Cencium & ipse Cencius dic. quæst. 85.*

Sicut etiam, si conventum sit, ut in grossis latis Pragensibus seu Bòëmicis, solvatur: prout apud nos antiquæ inscriptiones reperiuntur: Nam in tali casu, cum ejusmodi grossi non extent, æstimatio illorum debet persolvi juxta æstimationem & valorem illorum, tempore illo antiquo.

Noster autem Illustrissimus *Lipski*, quid in hac materia scripsit annectere placuit, sciens tanti viri magnam authoritatem, & pondus haberi in Judiciis præsertim Assessorialibus post Curiam nostram Regalem.

Hic itaq; Vir, *in Semicenturia observat, practicabilium observ. 46. hæc scripsit.*

Primò. Quòd quatnum monetæ mutationem intrin-

trinsecam attinet, debitorem qui aureum non obryzatum, pro obryzato reddit, creditori satisfecisse, juris ratio dictat. Tanti enim jam non est obryzatus publica lege probatus, quanti olim obryzatus fuit: tantum deniq; pro tali aureo qui nunc vulgaris est mercium comparabitur, quantum olim pro illo ex puro auro cuso, dabatur. Quod tamen si in contractu aut obligatione, d. puro, puta auro reddendo expressum sit, secus esse putarem, utpote in eadem tunc bonitate intrinseca aureos esse reddendos. Et ita olim Serenissimum dignæ memoriæ Stephanum Regem decrevisse, commemoratur.

Quantum ad potestatis seu valoris extrinseci mutationem, secus se res habet, *inquit Lipski*, Nam qui olim (puta temporibus dictorum Regum) aureum mutuo dabat aut accipiebat; non tam speciem ipsam nummi, quàm valorem, nempe triginta vel plures grossos, credere, vel debere intelligebatur; *per text. in L. Quæ extrinsecus §. 1. ff. de verborum obligat. ubi sic habetur.* Nam stipulanti denarios ejusdem quãtitatis aureos, spondendo obligaberis. Ac proinde inquit *Lipscius loco citato num. 4.* sive

pre-

pretium, sive valor nummorũ decrevit, sive accrevit, semper tamen ejus temporis, quo contractum inter partes, aut creditum est, in valore nummorum ratio habenda est: intantum, ut debitor illud quod decrevit, supplere Creditori, sicut & quod accrevit, detrahere teneatur. Pervulgati siquidem juris est, secundum naturam esse, commoda cujusq; rei, eum sequi, quem sequuntur incommoda. Et ubi fortuiti eventus neutram in partem ratio ducitur; ibi neuter lædi videtur. *ut dicitur in L. si Pater, Cod. de inofficioso testamento & in L. de fidei commisso, Cod. de transactionibus.*

Verùm hæc quidem, ita se habere quidam existimant: si antiqua moneta, quæ fuit tempore contractus, non reperiatur amplius tempore solutionis; quia tunc solutio in alia moneta usu recepta, ad valorem tamen extrinsecum antiquioris monetæ fieri potest. Et hæc est communis opinio Doctorum. Idq; *propter text. in L. Paulus, ff. de solutionibus, & de jure Canonico in cap. olim, & in cap. cùm Canonicis in decretalibus titulo de Censibus.* Id enim agi intelligitur, ut in eadem bonitate, & valore, id quod creditum est solvatur. *Lege, Cum quid, ff. tit. de rebus creditis.*

Secus, si moneta antiqua adhuc extet, sed ejus valor extrinsecus auctus, vel diminutus sit: eo casu, tam lucrum, quàm damnum creditori imputandũ est, Doctores juris statuunt, & ideo nulla incrementi, aut detrimenti ratio haberi potest. Nisi fortè ipsius debitoris, vel creditoris mora interveniat. Nam contra eum qui in mora est, à tempore moræ, omnis utilitas in æstimationem venit, *per text. in L. Si sterilis, §. 3. ff. de actione empti & venditi.*

Quamvis etiam eo casu quando vetus moneta adhuc in usu est, & reperiri potest; solutionem ad æstimationem antiquioris monetæ faciendam esse, communiter Doctores juris doceant. Et hanc sententiam tanquam veriorem & juri æquitatiq; magis consonam probat *Mynsingerius centur. 4. observat. 1.*

Mihi tamen (*hoc est Lipscio ubi suprà num. 5*) nõ displicet illa opinio, de mota adhuc existente, maximè ex illa causa, quòd debitor, vel monetam ipsam in specie, si adhuc in usu est; vel æstimationem ipsius, secundùm valorem ad præsens currentem, creditori reddere potest. Neq; ideo debitor

plus

plus reddere videtur quàm accepit, etiamsi postmodũ valor nummorũ auctus sit. Nã juxta valorẽ, qui nunc est, etiã acceptis nũmis procul dubio utitur: hoc est eodẽ valore atq; æstimatione ante ipsũ etiam tempus solutionis eos exponere potest, quô creditori illos daturus est. Nec enim quisquam accipit mutuò pecuniam, ut eam otiosam apud se retineat: sed magis, ut illa usq; ad tempus solutionis, pro commodo suo, liberè utatur: utendoq; eam expendat. Et certè æquitatis ratio id ipsum svadet (inquit *Lipski*) ut quemadmodum lucro debitoris cederet, si à tempore mutui contractûs decresceret monetæ valor cum detrimento creditoris: ita vice versa, creditori vitio verti non debet, qui ex incremento illius commodum consequitur, *ùt titulo ff. Quod quisq; Juris.*

Cæterum (*inquit Lipski ibidem num. 7.*) *si* nominatim in specie Aurei vel Taleri debeantur, species non æstimatio reddi debet. Ob rationem. Quia lex contractûs omnino servanda est, *ùt habetur in L. 1. ff. Depositi.*

Itẽ, si æstimati nummi debeãtur, æstimatio solvenda est, argumento, *Legis 7. in fine ff. de usufru-*

ctu rerum earum, & in L. 1. in fine ff. de æstimatoria actione.

Quodsi, neq; æstimati, neq; nominatim in specie debeantur, sed decem Aurei simpliciter: æstimationem offerri posse creditori ratio juris svadet Sibi enim creditor imputet, qui legem contractui non dixit apertiùs, *ut habetur in L. 97 ff. de solutionibus.* Et alioquin leges, in ambiguis Reo sunt favorabiliores *Lege 47. ff. de obligationibus.*

Qua in re solutionis tempus, non contractûs nimirùm spectandum esse, *text. juris Saxonici, lib. 3. art. 40. probat his verbis: Talis autem conditionis quemadmodum in promissione continetur, argentum aut nummi persolvantur. Si autem conditio non sit nominata argentum, aut numi præstentur, qui communiter sunt currentes vel usuales, in loco, vel Judicio, ubi promissio facta fuerit.*

Quamvis contrarium quidam existiment, utpote, quòd etiam hoc casu contractûs initium inspiciendum sit, ob rationem; quia partes in hoc quod præsens est consensisse verisimiliùs est: quàm id, quòd sub incerto esse potuit, argumento *text. in L. 7. ff. de Auro legato.*

Quòd

Quòd etiam obtinet in ultimis voluntatibus: ut, si testator alicui leget centum aureos, inspiciendus est valor, qui tempore conditi testamenti fuit, non autem tempore mortis Testatoris, *per text. in L. Uxorem §. Testamento, ff. tit. de Legatis 3.*

Excepto; si fundus instructus legatus, quo casu tempus, cum dies legati cedit, consideratur. *Ut habetur in L. Lucius ff. tit de instructo, vel instrumento legato;*

Idem esse in statutis, poenam pecuniariam pro delicto irrogantibus; ut scilicet tempus conditi statuti, in decernendis ejusmodi poenis attendatur; Doctores juris statuunt: idquè argumento ducto ab ultimis voluntatibus; quod de jure reciprocè procedit.†

Cæterùm, in contractu retrovenditionis, si hæredes, vel alii velint redimere prædia, ab Antecessoribus obligata, vel aureum pro aureo, aut talerum pro talero esse solvendum: vel, si aurei, aut taleri haberi non possunt, tunc secundùm valorem hodiernum, pro quolibet aureo, sive talero, aliam monetam solvi debere. *Ita Oinotomus in §. Bonæ fidei, lib. 4. Institut. Civilium, titul. de Actionibus, num. 33. Hucusq. Lipski noster.* ARTI-

ARTICULUS PRIMUS,

De tempore institutionis Monetæ in Regno Poloniæ.

MOneta juxta Ambrosium Calepinum dicta est, à monendo; quòd nos signi impressione, vel Authoris, vel pretii moneat. Hanc ab origine gentis suæ cum non haberent Poloni, permutationibus rerũ utebantur, sicut & aliæ gentes antiquæ, donec tandem succederent nummi quidam scortei, quos priscis illis Sarmatis in usu fuisse, usq; ad Venceslaum Bohemiæ Regem scribit *Clemens Janicius in Vitis Regum Poloniæ. & Alexander Guagninus ad Annum 1300.* Nec mirandum est; nam Romani etiam ante Numæ Pompilii tempora, scorteos & testaceos denarios, Carthaginenses & Lacedæmonii pelliculas signatas, Rex Ericus lapillos, Fridericus II. corium, alii alia sic ferente necessitate pro nummis habuere, *teste Pelzhoffer Arcanorum Status lib. 2. cap. 12.* Mathias verò Strikovius Ossostevicius *in Sarmatia Europaea* Author est, Polonos frustulis quibusdam argenti, pellibusq; aspreolorum sibi res necessarias comparare solitos fuisse; & inde fortasse venit, quòd Casimi-

rus Magnus Rex Poloniæ pro mulctis poenalibus loco marcarum fertonum, Scotorum, aut aliûs cujuspiam pecuniæ exigendas esse ab arguentibus sententiam Castellanorum, pelles Harmelinas, mustellinas, mardurinas, atq; vulpinas statuto suo decrevit: cujus quidem statuti tenor sequitur talis: *Cum aliquis arguit alias nagani sententiã Castellani Cracoviensis, tunc pelliceam hermelinã alias* gronostáiowy, *Castellanis autem Sandomiriensi & Lubliniensi, pelliceas mustellinas, alias* popielice, *cuilibet etiam Palatino pelliceas mustellinas. Judicibus autem Cracoviensi & Sandomiriensi pelliceas mardurinas, Subjudicibus vulpinas &c.* Herburtus verbo Castellani. In magna igitur rerum omnium copia, major fuit argenti & auri Reiq; monetariæ penuria, præsertim cũ auri & argẽti metalla nulla extarent, minusq; nota esset Polonis transmarina mercimonia, ac ideo Poloni cũ non haberẽt, suã, coacti sunt alienã maximè tamẽ Bohemicã monetã quærere, quàm in Regnum Poloniæ secum importâsse ferunt Venceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem; eo tandem è vivis excedente, Casimirus Magnus primùm æs & argentum in Regno Poloniæ ad exemplum Bohemi-

micæ monetæ ſignari juſſit: poſt illum Alexander & Sigiſmundus primus, nummos aureos, groſſos verò argenteos item trigroſſos & ſegroſſos, mediantes, & alia minutiora numiſmata idem Sigismundus primus, Sigismundus tertius, & alii ſucceſſivè Poloniæ Reges in Officinis monetariis cudi fecerunt *teſte Martino Cromero in Poloniæ deſcriptione libro 1. titulo Res nummaria Poloniæ. Dlugoſſus Hiſtoriæ Polonicæ lib. 13. fol. 165. ſub An 1455. item fol. 139. ſub Annô 1454. fol. 436. ſub Annô 1468.* non tamen ſimpliciter & abſolutè, ſed cum aſſenſu Prælatorum & Baronum Regni Poloniæ, prout ſe ad id obligavit Vladislaus Jagello Rex *Annô 1422.* per ſpeciale Privilegium contentum *apud Herburtum loco citato verbô, monetâ.* Item per aliud ſimile Privilegium *de Annô 1433. apud Herburtum loco citato:* obligavit ſe pro inclytis Filiis ſuis, quòd quemadmodum ipſe ſolus non præſumpſit cudere monetam ſine conſenſu Senatûs, ita nec prædicti Filii ſui præſument. Pari nexu poſt Vladislaum Jagellonem obſtrinxerat ſe Sigismundus Auguſtus ſpeciali Privilegio *Annô 1550.* ubi hæc formalia leguntur; *Volentes nos Majoribus*

bus Nostris in eo adæquare, pollicemur, quòd monetam præter consensum Comitiorum juxta jura eo nomine conscripta non cudemus. Herburtus loco citato. Similem excusionem monetæ seu pecuniarum imperavit Respublica post Sigismundum III. postquam ab eo transfusionem juris cudendarum pecuniarum, ex ratione quòd Inclytos Filios ejus amplissimis Præfecturis providerit, teste Stanislao Kobierzycki Palatino Pomeraniæ *lib.11.* de rebus gestis Vladislai IV. *pag. 940.* & Piaseccio *ad Annum 1632. fol.525.* gratiosè obtinuit: patet id ex Constitutionibus Regni variorum Annorum.

Sed adversari videtur superius dictis Cromerus noster, *De rebus Polonorũ l.7. fol.199* deducens Polonos olim habuisse varias monetarum species ex eo; quòd Vladislaus Sputator Princeps Majoris Poloniæ *Anno 1232.* Jus cudendæ Monetæ, Archi-Episcopo Gnesnensi, & Episcopo Posnaniensi concesserat. Item ex eo, quòd temporibus Casimiri ex Monacho Regis Poloniæ circa *Anni 1040.* Summus Pontifex induxit Polonos; ut in agnitionem beneficii Sedis Apostolicæ, per dispensationem Casimiri præstiti, venientes, de singulis Capitibus

(Nobilibus & qui Sacris addicti sunt exceptis) quotannis obolum unum in lucernam perpetuò in Æde Divi Petri Romæ arsuram penderent. Imò *Ditmarus lib. 6. Hist. pag. 176.* ad finem, asseverat per prius Boleslaum cognomento Chrobri Regem Poloniæ Romano Pontifici censum quendam pendere solitum fuisse, patet ex verbis dicti Ditmari ibi *Boleslaus Chrobri Domino Papæ questus est per Epistolæ portitorem, ut liceret sibi propter latentes Regis* (Henrici II. Imperatoris) *insidias. promissum Principi Apostolorum Petro persolvere censum.* Informamur quoq; ex Historia Cromeri *lib. 3. folio 59. circa Annum 1008.* prædictum Boleslaum sex Fratribus Eremitis in Eremo Casimiriensi Majoris Poloniæ degentibus, eorum Sanctitate perspecta notabilem Auri & pecuniarum quantitatem obtulisse. Sed hæ & aliæ quæpiam instantiæ non videntur sæculi illius divitias comprobare, cùm pecuniæ & Aurum prædictum in Thesauro Boleslai potuerit fuisse aliunde quæsitum, ex aliis Regnis comportatum. Oboli quoq; per Villanos in lucernam in Æde Divi Petri Romæ arsuram impensi, poterant certocertius ex permutatione rerum aliunde con-

quiri.

quiri. Quidquid tamen sit, optimè scortei illi denarii penuriam sæculorum illorum comprobant, de quibus se à plerisq; audivisse esse in Thesauro Regni ob memoriam antiquitatis asservatos testatur *Gregorius Cnapius in Thesauro Polono-Latino-Græco sub verbo* Pieniądze.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Jure cudendæ monetæ in Regno Poloniæ.

JUs cudendi monetam inter Jura Regalia computatum solis competit Principibus & Regibus, aut illis, quibus ex gratia Regum confertur. Hinc in Regno Poloniæ potestas cudendæ monetæ penes Serenissimos Reges erat, quam potestatem successivè Principibus Feudatariis, Urbibus & gravissimis personis communicaverunt, imò eandem postea totalem in Rempublicam Polonam transfuderunt, prout ex infrascriptis patebit.

Imprimis igitur Vladislaus cognomento Sputator, Princeps Majoris Poloniæ, cùm plurimas gratias & donationes Ecclesiis Metropolitanæ Gnesnensi & Posnaniensi, & eorum Antistitibus contulisset, pro complemento quasi beneficiorum suorum,

rum, Archi-Episcopo Gnesnensi & Episcopo Posnaniensi *Annô 1232.* jus cudendæ monetæ atq; Jus venandi in sylvis Bonorum suarum Ecclesiarum, quòd aliàs ex prisca consvetudine sibi competebat, concessit. *Cromerus de Rebus Polonorum lib. 7. fol. 199.*

Civitati quoq; Cracoviensi jus cudendæ monetæ ab antiquissimo tempore concessum esse ex actis ejusdem Civitatis, conijcitur Ante quadringentos enim, & ampliùs Annos circa *Annum 1296.* reperitur ibidem ordinatio officinarum nummariarum, & ligæ cudenæ in iis monetæ. Patet quoq; ex plerisq; Inscriptionibus summarum Reemptionalium, in quibus pro censu comperiuntur assignatæ esse marcæ monetæ Cracoviensis. Joannes demum *Dlugossus in Historia Polon. lib. 13. folio 165. sub Annô 1455.* memorat, quòd in Conventu Regni Lanciciensi demandatum fuit, ut pro stipendiis militaribus nova numismata in mediis grossis, in monetáq; communi Cracoviæ cuderentur.

Civitati Vschovēsi in Majori-Polonia Henricus, Zeganensium Dux Nepos Henrici olim Ducis Głogoviensis; qui Territorium Vschovense cum Civi-

tate

rate dicta interceperat, utì ejusdem Territorii Dominus Jus cudendæ monetæ concesserat; quòd Casimirus Magnus *Annò 1343.* recuperato armorum vi eodẽ Vschovensi Territorio, Civibus Vschovensibus non ademit, quinimo eos penes dictum Privilegium conservavit, nulli tamen ab Authoribus ex officina monetaria Vschovensium prodiisse nummi memorantur. *Cromerus de Reb. Polon. lib. 12. fol. m. 303.*

De Vladislao Jagellone dictus *Cromerus de Reb. Pol. scribens, lib. 20. folio 452.* hoc memorandum reliquit, quòd monetæ cudendæ potestatem fæminis quibusdam insignioribus impertiebatur, eamq; levem cudi Magno Reipublicæ detrimento permisit, quòd inter reliqua vitæ ipsius vitia à scriptoribus Historicis commemoratur.

Casimirus IV. Jagellonides Rex Poloniæ, cùm ad eum Prussia à Cruciferis transiisset cum consensu Senatus *Annô 1454.* Jus cudendæ cum imagine Regia monetæ concessit Thorunensibus, Elbingensibus, Gedanensibus, & Regiomontanis bello durante, finito verô bellô, ut Thorunii tantũ & Gedani Regio sumptu ea signetur ordinavit. Ordina-

tionis

tionis istiùs verba sunt hæc. *Cùm monetæ justam & fidelem libram, ponduś habentis cusio terram quamlibet & nobilitet & fœcundet, volumus, ut in quatuor locis terrarum prædictarum videlicet Thorun, Elbing, Kinsberk, & Gdańsk bello præsente durante, fidelis & justa, imaginem nostram & Inscriptionem tituli nostri continens cudatur moneta, militarium, Civium, terrarum prædictarum impensis. Pace autem Domino suffragante tantū in Thorun & Gdańsk Regalibus nostris cudetur impensis, proviso tamen, quòd moneta ipsa in pondere & grano libraś debita nullatenus minuatur Dlugossus Histor. Pol. lib. 13. fol. 139.* Unde hodie etiam jure cudendæ monetæ utuntur omnes tres Civitates Prussiæ Regiæ Majores, nempe Thorunium, Elbinga & Gedanum. Et quamvis de Elbingensibus dubium ex Privilegio illo Casimiri moveri possit; videntur tamen illi jus hoc finitô bellô consensu Regis & Reipubl: cum cæteris Civitatibus majoribus retinuisse, aut potiùs ex antiquo Privilegio ab Henrico de Hohenloe Magistro Ordinis Theutonici sibi *Annò 1246.* concesso contradicentes asseruisse: nam adhuc hodie reperiuntur nummi Elbingenses varii generis tem-

pore

pore Sigismundi I. cusi, qui nos ea de re dubitare non sinunt. *Christophorus Hartknoch de Pact. Conven. & Jure Majest. tit. 2. cap. 2. pag. 410.*

Serenissimo itidem Marchioni Brandeburgico, olim circa traditionem in feudum Prussiæ Ducalis collata est à Rege Poloniæ cum consensu Senatûs potestas aperiendi monetarias officinas in prædicta Prussia, & jus cudendæ monetæ, expressum esse dignoscitur, in Decreto generalis Conventûs Petricoviensis sub Sigismundo Rege *Annô 1543.* facto, contento *apud Herburtum verbo, moneta* ibi *quod cùm neque Illustrissimus Princeps, neq; Regiæ Civitates in Prussia, ullam unquam aliam facultatem habuerunt, neq; habent, monetam æqualem monetæ Regni, & quæ à Regnicolis recipi deberet, cudendi, nisi à Majestate Regia novissimè concessam.*

Quæquidem moneta sicut intrinsecam bonitatem, ita inscriptionem hanc *Prussica moneta* prese- ferre debet prout olim præsetulit, ut colligitur *ex actu Commissionis ad finem Constitutionis Anni 1649: in Volumin. Leg. inserto,* §. Przestrzegaiąc iednák.

Sigismundus demum III. piæ memoriæ Rex Po-

loniæ

loniæ Jus suum Majestaticum cudendi monetam, in Rempublicam ex motivo gratitudinis, quòd Serenissimos Filios suos amplissimis Præfecturis providerit pleno, perpetuo ac irrevocabili jure *Constit. Anni 1632. tit.* Opatrzenie *ad finem fol. 3* transfudit, omnesq; Proventus ex officinis Monetariis ad Thesaurum suum Regium provenire solitos illi incorporavit & appropriavit, prout legitur in dicta Constitutione.

Civitates quoq; Magni Duc. Lithvaniæ Majores utpote Vilnam Brestiam, & alias, habere facultatem aperiendi monetarias officinas, & etiam cudendæ monetæ, patet de Civitate Brestensi *in Constitutione Anni 1659. fol. 11. tit. Moneta.*

Civitatem quoq; Regiam Bydgostiam habuisse Officinas monetarias colligitur exinde, quòd Ortones Bydgostienses appellentur; & sint Orthonibus Gedanensibus coæquati *Constitut. Anni 1620. fol. 11. tit. Moneta.*

Serenissimo itidem Principi Curlandiæ & Semigalliæ simile Jus concessum est, hac cum conditione ut in Curlandia cudatur moneta sub eodem põdere & valore, sicut cuditur in Regno Poloniæ &

Magno

MagnoDuc. Lithvaniæ. *In Pactis subjectionis ar-tic. fin. in Volu: Legum. sub Annò 1726. insertis.*

Paprocki, ad extremum in suo 2do Opere com-memorat se vidisse Joannis Zarembæ Episcopi Vra-tislaviensis nummum, in quo erant ab una parte ar-ma Zaremba dicti Episcopi, ab altera erat Sancti Joannis caput, armis dicebat tacitè: *Insigne Za-remborum.* Capiti verò Sancti Joannis adscriptum erat: *Baptista succurre S. Joannes* Simon Okul-ski *Orbis Poloni Tom. 3. folio 314. sub Stemmate Zaremba.*

In his ergo & aliis officinis monetariis permissũ fuit & est per specialia Privilegia; quatenus moneta variarum specierum cuderetur talis; quæ apud ex-teras nationes acceptior, & ad earum monetam propter faciliora commercia magis esset conformis *Constitut. Anni 1631. folio 6. titulo* o Mynicy. Et sic cusi esse leguntur taleri, & semitaleri capientes in marcam 14. semiuncias puri argenti *Constitutio Anni 1627. folio 6. tit. o Mynicy.* Item aliæ pecu-niæ, *ùt in Actu Commissionis post Constitut. Anni Dom: 1649.* Item solidi æræi *Constitut. An. 1659. fol. 13. tit.* O Mynicy, *& Constitut. Lith. ejusdem*

Anni fol. 11. tit. Mynica. Ex argento demum Ecclesiastico per Spirituales de consensu Sanctæ Sedis in stipendia militibus persolvenda designato, cusam esse monetam argenteam, tynfiones & alias species pecuniæ legitur *d. Constitut. Anni 1659. fol. 21. tit. Assekuracya nienáruszoney cnoty.* Oculis deinde nostris aliquando videmus ex Gedanensi monetaria officina nummos aureos & alia numismata prodiisse.

Monetam igitur; cujuscunq; illa maneat speciei, modò sit in se proba & non vitiata commendat Andreas Załuski *Epistol. Tom. 2. Epis. 1. folio 1. ad Annum 1696.* his verbis. *Bene scimus societatem humanam. etiam cum longè & longissimè dissitis Regnis, & Regionibus nullo magis firmari vinculo, quàm probâ; cujus valor ubiq; terrarum acceptetur monetâ. Hæc beatitudinem humanam & in altissimo Throno felicem reddit, & inter pauperes velut unicum mendicantis fortunæ patrimonium sustentat ita; ut tanquam quintum elementum justè vocetur: quà vel accisa vel adulteratâ, ruina Regnorum necessariò sequitur.* Hinc est, quòd per Antecedaneos Reges Poloniæ in depravatores monetarum, seriò

animad-

animadversum fuit, prout colligi potest ex Statuto *apud Herburtum verbo moneta* ad finem, & simile quid legitur apud *Dlugossium Hist. Pol. lib. 13. folio 404. ad Annum 1467.* ubi plurima Reipubl. damna ex furtiva multarum monetarum officina dispendio vitæ compensata fuerunt. Nec abrasores aureorum & talerorum à poenis liberi sunt; in quos Decreto Reipubl. poenæ confiscationis, & carceris vallatæ sunt *Constitut. Anni 1633. folio 21. titulo Uniwersal do Mynice.* Et ob hanc rationem designati olim erant in Civitatibus Præfecti monetæ probãdæ, nũ scilicet sit justi pederis & bonitatis intrinsecæ, quales Cracoviensis quoq; Terra olim habuisse comperitur *teste Cromero lib. 21. folio 456. & 464.* Simili animadversione usa est olim Respublica in eos, qui exoticam valde levem & adulteratã monetam in Regnum Poloniæ invehebant, & Polonicam monetam aliis meliorem titulo prætextuosæ commutationis ex Regno exportabant; ideo pluribus Constitutionibûs Regni *utpote Annô 1620. folio 11. Annô 1623. folio 6. Annô 1633. folio 28. tit. o Mynicy.* prohibitum est, ne quispiam exoticam monetam exceptis taleris & aureis

nummis ad Regnum invehat sub poena confiscationis & vitæ; imò ne eadem pecunia exotica in commercium hominum veniat; sed penitus destruatur & aboleatur imperatum. Qui rigor anterioribus etiam sæculis viguisse scriptis Historicorum deducitur. In Seraphinum enim Præfectum salis Regii Consulem Cracovien: & quosdam de Consulatu Urbis Cracov. ob importationem monetæ adulteratæ tam seriò à tumultuario populo animadversum est, ut non longe abesset cædis ac mortis periculum, nisi tempestivè iram populi evitâssent testis est *Cromerus libro 21. folio 466.*

ARTICULUS TERTIUS.

De speciebus & valore monetæ in Regno Poloniæ.

MOnetæ Regni Poloniæ, cujuscunq; illa speciei sit valor est optimus ita; ut valorem monetæ exoticæ & pondere & bonitate superet. Patet hoc ex verbis *Constitutionis Regni A. 1620. folio 11. titulo* Monetá: *item ex alia Constitut. Anni 1632. fol. 4. tit.* Opátrzenie *ad finem:* ubi Sigismundus III. Rex Poloniæ cedens Reipubl. de omnibus proventibus Officinarum monetariarum, eam cautelam

appo-

appoſuit, ut deinceps in Officinis monetariis tam Regni, quàm Magni Ducat. Lithvan. ſenſim melior ac melior moneta cuderetur. Quare cùm à principio purè argentea absq; æris admixtione juſſu Regum Poloniæ moneta prodiret, illicium dedit avaris Judæis, mercatoribus, & argentariis apud Gentes finitimas; ut illam extra fines Regni exportarent & conflarent. *Cromerus in deſcript. Pol. lib. 1. tit. Res nummaria Poloniæ pagel. 109.* Pretium auri & argenti non idem eſt modò, quod fuit prioribus ſæculis, quando argentum & aurum ſignari cæperant; quia modò ſextuplo ferè (ut utar verbis Simonis Starovolſcii *in deſcript. Polon. pagel. 171.*) crevit, partim propter luxum, & crebriorem auri uſum, exportationemq; ad exteros, partim propter deteriorem reliquam monetam tùm ponderis diminutione, tùm æris admixtione. Verùm ut redeam ad propoſitum meum.

Præmitto *primò*; Caſimirum Magnum Regem Poloniæ qui primus æs & argentum ſignari fecit, non cudiſſe groſſos Pragenſes & aliam pecuniam Bohemicam, ſed aliam ad normam & exemplum Bohemicæ, unde latus groſſus monetæ Pragenſis

ſcu

ſeu Bohemicæ major eſt noſtrate, quia quarta parte noſtratem groſſum excedit *Cromerus lib. 11. fol. 276.* Succeſſivè autem regnantibus Sigismundo III. Joanne Alberto & Vladislao IV. Regibus Poloniæ cuſi ſunt argẽtei nũmi ad exemplũ Germanicorum; Aurei verò ad exẽplũ Hungaricorũ bonitate & põdere eos æquãtes. *Simõ Starovol. in ſua Pol: pagel. 171*

Præmitto *ſecundò;* duplicem olim in Regno fuiſſe monetam, aliam purè argenteam ſine ulla admixtione æris, qualis fuit ſegroſſus, trigroſſus, regnante Sigismundo primo cuſi: aliam argenteam quidem, ſed cum admixto ære modico, quales fuerunt groſſi majores, ſexagenæ ſive Copæ, item minores groſsô nummi, ùt mediãtes, ſolidi, ternarii oboli, & iſti olim habuerunt admixtum argẽtum, ùt etiam habuerunt groſſi & mediantes, poſtea ærei fuerunt inalbati. *Cromerus in deſcript. Polon. lib. 1. pagel. 109. tit. Res nummaria Poloniæ,* Succeſſivè verò ſupervenerunt ſolidi purè ærei *Conſtitut. Anni 1659.*

Præmitto *tertiò* Marcam 48. groſſos in ſe continentem, item ſexagenam, florenũ, fertonem. ſcotum non fuiſſe nec eſſe pecuniam, ſed pondera quædam

dam sivè genera, quibus pecuniam numeramus *Cromerus loc. cit.*

Præmitto *quartò* Species Polonicæ monetæ fuisse olim has: aureum nummum, talerum, grossum latum, grossum latum Pragensem, medium latum grossum, trigrossum, segrossum, ortonem, tynfonem, denarium sestertium; grossum Sancti Petri, obolum &c de quibus seriè sequenti.

Aureus Nummus; juxta Raderum aureus solidus, Polonicè *Czerwony Zloty* Numisma per prius sub Alexandro & Sigismundo I. ex post verò sub Joanne Alberto, Sigismundo III. Vladislao IV. Regibus Poloniæ ad pondus aurei Hungarici signatum. Pondus ejus semper æquale est, scilicet drachma seu octava pars Unciæ, cui respondent septuaginta grana piperis *Gregorius Cnapius in Thesauro Polono Latino Græco.* Pretium hujus nummi admodum variavit: aliquando æstimabatur 50. aliquando 30. aliquando 60. quandoq; 70. imò etiam 100. sesterciis qui faciunt denarios vigintiquinq;, authore dicto Gregorio Cnapio *loc. cit. verbo; Zloty.* In Statutis & Constitutionibus Regni de hoc nummo legitur; quòd Regnante Joanne Alberto *An. 1496.*

valebat

valebat mediam sexagenam, aliàs grossos Polonicales triginta, postea regnante Alexandro Rege Poloniæ *Annô 1605.* grossos Polonicales triginta duos. *Herburtus Statutorum Regni verbo. Aureus nummus.* Sub Sigismundo III *Annô 1598.* septuaginta & octo grossos *Constitutio Anni 1598 folio 688. tit.* o Mynicy. *Item Anno 1620.* florenos 4. *Constitut. Anni 1620. fol. 11. tit.* Moneta & *Constitut. Anni 1627. fol. 6. tit.* O Mynicy. Sub Joanne Casimiro *Annô 1649.* florenos sex. *Actus Commissionis monetariæ ad finem Constitutionis Anni 1649.* §. co się tycze. Sub Joanne III. *A. 1676.* florenos æreos duodecem. *Constitut. Anni 1676. folio 26. titulo* O Walorze. Sub Augusto II. *Annô 1717* florenos octodecem. *Constitut. Anni 1717. fol. 63. tit.* Skarb Koronny. Item in M. D. Lith. eodem Annô facta est monetæ coæquatio, ut similiter aureus nummus in Magno Duc. Lithvaniæ; quemadmodum in Regno curreret florenis octodecem. *Constitut. Lith. fol. 21. tit. Coæquatio.* Huc pertinet, quod anteactis Annis non fuit prohibita importatio Aureæ monetæ in Regnum, & quamvis minutioribus aliis nummis extraneis præclusa

fuit

fuit via, non item aureis, testantur plures ex superiùs allatis Constitutiones, testatur etiam id ipsum *Constitutio Anni 1633. fol. 28. tit. Moneta*, ubi declaratum est, quòd qui abradit seu diminuit, seu leviores facit aureos nummos, poenam confiscationis & carceris meretur. Utinam ergo his poenis còerceantur, qui peculiare habent in fraudem publicam abrasionibus aureorum locupletari.

TALERUS nomen barbarum nummum argenteum significat: qui quidem Nummus est duplex; alius antiquus vulgò *Stáry Táler* alius dictus *Táler Złotowy*. Talerus antiquus ex dispositione Constitutionis Regni *A. tit. 1620. fol. 11. tit. Moneta.* valebat florenos duos grossos quindecem. Talerus verò dictus *Złotowy* florenum unum & grossos septem. Sed horum Talerorum pretium crevit sensim majus ac majus; æstimabatur enim *Anni 1598.* floreno uno & grossis sex *Constitut. Anni 1598. fol. 688. tit. Moneta.* Item ante *Annum 1649.* ac ipso etiam Anno, florenis tribus. (Unde hodie etiam dicitur *puttalera* florenus unus & grossi quindecem.) Item *Annò 1676.* Talerus cusus, aliàs *Twárdy Táler* florenis sex. Talerus verò formam

leunculi præseferẽs *Lewkowy* dictus florenis quinq; *Constitut. Anni 1676. fol. 26. tit. o Walorze. Annô* deniq; *1717.* in Regno & in Magno Duc. Lith. Talerus æstimabatur florenis octo, *ut sonat Constit, Regni Anni ejusdem fol. 63. tit.* Skarb Koronny & *Constit. Lithv. ejusdem Anni fol. 21. tit. Coæquatio.* Et licèt prædictos taleros ex commercio extraneorum cum nostratibus illatos in Regnum fuisse, & ut ab exteris inferrentur, permissum esse multis Constitutionibus, Regni probetur; habuit tamen Regnum Poloniæ taleros quoq; proprios in Officinis suis monetariis excussos, prout liquet ex Constitutionibus *Annorũ 1627. fol. 6. Itẽ 1631. fol. 6 item Annô 1633. fol. 28. tit. o mynycy.* ubi ultimâ dictarum Constitutionum cavetur, ut taleri sub effigie & nomine Sigismundi III. Regis Poloniarum, sub eodem pondere, sub quo sunt taleri Imperiales cudantur & extradantur. *Actus Commissionis monetariæ* loco citato §. *Do lepßego:* ubi de cudendis taleris facta est ordinatio: *1mò.* ut taleri cudantur ad ligam & pondus talerorum Imperialium: *2dò.* ut ex una marca monetaria cudantur octo taleri, & isti octo taleri contineant in se Argenti puri aliàs

feynu

feynu semiuncias quatuordecem. *3tiò:* ut nemo hominum ex dictis taleris in domibus privatis præsumat per ignẽ extrahere argentum purum, quod à vendentibus emere omnibus aurifabris interdicitur, ne per hoc fiat diminutio monetæ currentis.

Notandum, quòd prædicti taleri dividuntur in semitaleros aliàs *Puttalerki* & quadrantes, aliàs *Kopowce* seu *Cwierć Talerá*, qui quidem quadrantes quatuor tantùm valent simul juncti, quantum ipse talerus, & unum continent pondus cum talero; nisi fuerit malitiâ Judæorum vel aliorum hominum avarorum per abscissionem diminutus. Qualem abscissionem attentare, legibus Regni prohibetur ita; ut qui eam attentare præsumpserit, poenæ confiscationis & carceris subesse cogitur. *Constitutiones Anni 1633. fol. 31 tit. Moneta.*

GROSSUS quoniam est varius, variè consideratur; alius enim grossus est argenteus ex argento puro; alius argenteus quidem sed admixto modico ære, alius grossus latus, alius grossus latus Bohemicalis vel Pragensis monetæ, alius medius latus grossus; alius grossus major, alius grossus minor, qualis est segrossus, trigrossus, alius deniq; in minuta pecu-

nia, groſſus purè æreus capiens trés ſolidos æreos; alius inalbatus intus quidem æreus, ab extra argento obductus de quibus infra.

GROSSUS MAJOR, Polonice *Plaſki Szoſtak*, argẽteum numisma eſt, modicum habens æs admixtum ad ſimilitudinem groſſi lati cuſum, & eſt ſexagenæ ſive Copæ pars ſexageſima, marcæ quadrageſima octava, floreni trigeſima, fertonis duodecima, ſcoti verò pars dimidia, *Cromerus in deſcription. Poloniæ lib. 1. pagel. 109. tit. Rex Nummaria Poloniæ*, *& Salomon Neugebav: de re nummaria.* Talem groſſum Sigismundus 1. & 3. olim ſignâſſe comperitur, cum inſcriptione; *Groſſus Argenteus Regni Poloniæ*, qui quidem quia bonitate ſua intrinſeca plurimum præſtat, unde ſeptem crucigeris Germanicis ideſt groſſis æreis quatuordecem, ab aliis octo crucigeris æſtimatur, cùm ipſum aliquando haberi contigerit. Quamquã Reſpublica groſſo huic majori, ſequentium Regum Authoritate ex viliori materia cuſo, pretium duodecem groſſorũ æreorum & duorum ſolidorum præfiniverit *Conſtitutio Anni 1717. folio 63. & Magni Ducat. Lithvan. folio 21. tit. Coæquatio.*

MEDI.

MEDIANS grossus est nummus valens grossi dimidiũ, sed quia sunt grossi varii, scilicet majores ac minores, cariores ac viliores, etiam mediantes erunt varii; majores pariter ac minores, cariores quoq; vel viliores. De grossis mediantibus *apud Herburtum verbo Moneta ad finem fol. 290.* sic legitur esse ordinatum. *Inter creditores, habentes Inscriptiones super mediantes taliter ordinatũ est: quòd quilibet talium, idest Creditorum pecuniam sibi antehac inscriptam juxta continentiam literarum suarum liberè exigat in moneta in ipsa Inscriptione expressa: deinceps verò nonnisi minuta pecunia, vel simpliciter marcæ monetæ numeri Polonicalium, inter Creditores inscribantur, & in minuta pecunia quævis debita exigantur & solvantur.* Minuta verò pecunia est segrossus. trigrossus, ternarius, solidus, obolus, denarius &c. *Apud Cromerum loco citato* Medians in minuta pecunia intelligitur nummus nona parte cruciatum Germanicum superans, hoc est medium trigrossi.

LATUS GROSSUS' constat octodecem denariis, ex ratione quia medius latus grossus constat novem denariis, prout habetur *apud Herbur. ver. moneta.*

LATUS

LATUS GROSSUS Pragensis vel monetæ Bohemicalis est major latô grossô & carior illô: Unde si in Inscriptione additū fuerit, *latorum grossorū Pragensium*, vel *latorum grossorū monetæ Pragensis*, tunc iis, qui tales grossos obtinent in suis Inscriptionibus debent fieri additiones secundùm cursum communem inter mercatores currētem, prout legitur *apud Herburtum verbo. Moneta. fol. 291. §. Similis de minuta pecunia.* Quare non abs re *Cromerus lib. 11. fol. 275. dicit.* latum grossum monetæ Bohemicalis aliàs Pragensē quarta parte nostratem grossum superare. Aliàs si nostras grossus valeret grossis sexdecē, latus Pragensis valebit grossis viginti, si verò nostras valeret viginti grossis, Latus Pragensis viginti quinquè. Et licèt Casimirus Jagiellonides Rex Poloniæ, *A 1451.* Statuto suo *apud Herb. verbo. Moneta, cavit*, ut pro unoquoq; medio lato grosso solvantur in minuta pecunia novem denarii, excipit tamen latos grossos monetæ Pragensis determinans, ut pro Decimis fertonalibus in specie exigātur grossi monetæ Pragensis, vel alia pecunia correspondens valori dictorum grossorum Pragensium.

SE-

SEGROSSUS Polonicè *Potroyny Stary*, & *Trigrossus* Polonicè *Pultorak* sunt argentei nummi; ille quidem sex, iste verò tribus grossis æstimatione par, utrumq; primò signavit Sigismundus senior, sed jam pauci extant. *Cromerus in Descript. Polon. lib. 1. pagel. 109.* Notandum est eam esse differentiam inter segrossum veterem & novum, quòd vetus fuit ex puro argento cusus, novus ex argento quidem sed multo admixto ære. Dicitur autem Polonicè *Potroyny* ex eo; quòd tribus crucigeris cō-staret, *Pultorak* verò quòd uno & medio alterius, Juxta Simonem enim Starovolscium *loco* superiùs *citat. Moneta Polonica* cusa est prioribus quidem annis ad exemplum Pragensis, posterioribus autem, ad exemplum Monetæ Germanicæ.

ORTHO aliàs *Orth* seu *Urt* undenam suam deducat nomenclaturam? nullibi reperi, præsumitur tamen ab aliquo rei nummariæ administratore nomē derivavisse, quemadmodum Tymphus, qui nūc loco Orthonum cuditur, derivavit appellationem suam à Tynphio rei monetariæ Administratore. Duo enim Regnante Joanne Casimiro fuere; unus qui cudendæ pecuniæ æreæ, alter qui argenteæ præ-

erat

erat, ille Boratinius hic Tynphius appellabantur: meminit amborũ *Andreas Załuſki Tom. 1. Epiſt. 10. fol. 32. ad Annum 1668.* Eſt ergo *Urt* nummus Argenteus, olim novem vel decem ſeſtertios, poſtea tandem ſexdecem ſeſtertios continens, duplo major priore pretio, *Gregorius Cnapius in Theſauro Polono-Latino-Græco ver:* Urt, *In Conſtitutionibus Regni Annô 1620. fol. 11. tit. Moneta*, valor Ortonis Gedanenſis æquè & Bydgoſtienſis legitur eſſe quatuordecem groſſorum. *Annô verò 1649. in Actu Conmmiſſionis Monetariæ in Volumin. Legum eodem Annô contento §. Co ſię tedy tycze & §. Jakobyśmy*, valor Ortonis extenſus eſt ad octodecem groſſos crucigeros, ita; ut uni Ortoni in pondere correſpondeant tres ſextarii, uni verò ſextario, duo ſextones aliàs *Potroyne*, uni ſextoni duo pariter trigroſſi ſeu *Potroyne.* Hinc reprehenduntur Gedanenſes; quòd in ſuis officinis excudi fecerunt Ortones, qui non conſtabant, niſi quatuordecem groſſis, qui ita ſunt multiplicati, ut abhinc antiquus Orto non videatur. *Andreas Załuſki parte 2. Tom. 1. Epiſtol. 85. fol. 1193. ad Annum 1690.*

TYNPHIO eſt nummus Argenteus valens octodecem

decem Crucigeros Germanicos. (quos inscriptos in sui facie gerit) à Tynphio Administratore Officinæ monetariæ, ùt supra deductũ, dictus, successit Orthoni, auctus uno crucigero ita, ut hodie novẽdecem crucigeris, Polonicis verò æreis grossis triginta octo constet. *Costitur. Regni Anni 1717. fol. 63. tit.* Skarb Koronny. *& Lithvanica Annô eodẽ folio 21. titulo Coæquatio.*

DENARIUS Juxta Ambrosium Calepinum est nummus argenteus quatuor valens sestercios idest grossos, ita dictus, quia pro decem assibus olim in solutione cedebat. Sed genuinam interpretationem denarii vide in Herburto Polonico, qui mihi dum hæc scriberem, ad manum non erat.

SESTERTIUS est nummus continens duos asses & dimiduum assem: si nostram monetam sestertio æquare velim, continet is duos crucigeros Germanicos, nostrum verò nummum *Groß* dictum, unicum. *Author est Gregorius Cnapiu s loc. citato ver.* Grosz.

OBOLUS Polonicè *Pieniążek, juxta Cromerum in desrriptione Polon. lib. 1. pagel. 109.* est decima octava pars grossi seu est nummulus, quales octode-

cem continentur in uno grosso. *Constit: Anni 1629. fol. 13. tit.* Czopowe.

KWARTNIK est sextans sextertii non verò triens, qui triens est vox communis, ùt grossus æreus habet tres solidos, medius grossus habet tres sextantes aliàs *Kwártniki*, sextans seu *Kwártnik* habet tres obolos, *Cnapius loc. cit. verbo*, Kwártnik.

WIARDUNEK Latinè *Tridrachmum*, valet duodecem sestertios, apud Cromerum & in Statutis, barbarè vocatur *ferto*, apud Græcos est genus monetæ, & vocatur tridrachmum, apud nos non est genus monetæ sed numeri tantùm, ùt sexagena, Marca &c. *Cnapius loc. cit. verbo* Wiárdunek.

VERIGELDUS de Jure Saxonum (alio nomine scotum appellant) viginti aureis constat. *Vessembecius in Par: ff. lib. 4. tit. 8. num. 16.*

GROSSUS seu DENARIUS seu Nummus S. Petri fuit obolus unus, hunc Cromerus scribit cæpisse Polonos pendere Romano Pontifici in lucernam in Æde Divi Petri Romæ arsuram sub Casimiro I. ex Monacho Rege. *Cromerus de Reb. Polon. libro 4. folio 73.* Aliter verò Długossus, qui pensionem Sancto Petro debitam scribit fuisse priùs tres obo-

los & cribrum avenæ, ex quavis familia colonaria, (Ecclesiasticis & Nobilibus exceptis) postmodùm verò regnante Vladislao Loctico ad unum obolum esse redactam; cõvenit etiam in eo *Cromerus loc. citato libro 11. folio m. 385.*

SOLIDUS Polonicus est nũmulus æreus, quales tres unus grossus capit, grossus verò continet obolos hoc est; *Pieniążkow* octodecem. In actu Commissionis monetariæ ad finem *Constitut. Anni 1649.* in *Volumin. Legum* insertæ svadetur, ut solidi isti ærei, quatuor in unum grossum computẽtur, & hoc propter faciliorem reductionem monetæ. Sub Joanne Casimiro Rege excusi sunt solidi in Officinis monetariis Regni ad numerum unius millionis, totidem in officinis Magni Duc. Lithvan. *Constitut. Anni 1649. fol. 13. tit.* O Mynicy. *Item Constit. Lithvan. ejusdem Anni fol. 11. tit. Mynica.* Sed quia moneta hæc ærea apud exteros cursum habere non potuit, proinde Officinas ad cudendos solidos destinatas occludere Resp. mandavit, statuens ne in futurum aperiantur *Constitutio. Anni 1667. fol. 34. tit. Mynica.* Sed ante dictos duos milliones solidorum, majores longè summæ introductæ

 fuisse

fuisse feruntur ad Regnum Poloniæ. Ab Anno enim 1621. ad Annum 1636. ex Svecia septuaginta milliones solidorum in Regnum nostrum introducti sunt, pro quibus in argento & auro evecti milliones, quibus hostes aucti, opibus nostris contra nos valebant. *Annô* item *1669.* prætèr sexdecē milliones, quos Boratinius se ingenuè fassus est in Regno & Magno Duc. Lithvan. excudisse, quotannis in Poloniam centum viginti millia solidorum, Rigâ & ex Dominiis Regni Sveciæ introducta esse asserunt. *Andreas Zatuski Tom. 1. Epist. 21. fol. 188. ad Annum 1669* Quòd item ad Regnum Poloniæ importati sunt plures, quàm decem milliones Valachicorum & Rigensium solidorum, legitur apud eundem *Andream Zatuski Tom. 1. par. 2. Epist. 85. fol. 1194. ad Annum 1690.*

Pondera sive genera, quibus pecuniam numeramus sunt hæc.

MARCA, Marca apud Polonos valet octonos & quadragenos grossos. *Cromerus de Rebus Polonorum lib. 12 fol. 470.* quales autem in eam computari debeant, an scilicet lati, vel lati monetæ Pragensis, vel grossi Bohemicales, vel alii quipiam? ex tenore

Inscri-

Inscriptionū reemptionaliū cognoscēdū erit. Similiter etiā cognoscendum qualitatē Marcæ. Alia enim est marca argenti,puri, (quæ num sit cumulus quidam massæ argenti an congeries numismatum ex argento puro? parum refert; nihilominus quoniam marca est genus, quo pecuniam numeramus, certius est eam esse congeriem nummorum puri argenti, quoniā antiquitus regnante Casimiro Magno nummos ex argento puro cusos esse attestatur *Cromerus in descript. Polo. lib. 1. pagel. 109. titulo Res nummaria Poloniæ*; Sed hanc materiam judicio aliorum subijcio) alia marca grossorum Bohemicalium, alia marca latorum grossorum,alia latorum grossorum pecuniæ Pragensis, alia deniq; marca pecuniarum communis in Regno monetæ, qualis moneta erant segrossi, trigrossi, bigrossi, denarii &c. De pretio marcarum argenti puri scribit *Petrus Rebuffus in Praxi Beneficiorum ad finem post Provinciale Ecclesiarum §. de monetarum valore*, quòd marca argenti puri valet Ducatos sex auri, item marca argenti valet ducatos qninque auri, sed id scripsisse præsumitur non de marca in Regno Poloniæ currenti, sed de marca alterius aliûs Re-

gni,

gni, ubi marca sine dubio major est, quemadmodũ marca ad monetæ Gallicæ æstimationem, reducta valet circiter libras Turonenses septemdecem & semissem. *Ambrosius Calepinus verb. Mina.* Nostratis verò marcæ valorem, benevolus lector ex superiùs hoc articulo dictis, & sequenti titulo dicendis habebit.

Notandum pro censu à summa Capitali centum marcarum inscribi quandoq; quinque aut sex marcas, quandoq; septem, quandoq; etiam octo marcas, prout ex inscriptionibus antiquis elicitur.

FERTO. Ferto est par marcæ in quales quatuor æquales marca dividitur; ita; ùt quatuor fertones constituant quadraginta octo grossos. Ferto igitur continet in se duodecem grossos argenteos, vel duodecem grossos latos, vel duodecem latos grossos Pragenses, & quod unum est monetæ Bohemicalis, vel alios quos tenor Inscriptionis Reemptionalis præscribit. Medius ferto capit in se grossos sex ùt annotavit *Dlugossus Hist. Polon. libro 13. fol. 436. sub Annô 1468.* Valor fertonis major est vel minor juxta valorem grossorum, grossi enim argentei Pragenses sunt altioris pretii, grossi

autem lati sunt paulò inferioris pretii. Hinc de fertonibus colligere licebit ex dictis & dicendis sequenti articulo de reductione monetæ,

SEXAGENA, Sexagena alio nomine *Kopa* dicitur, cõtinetq; in se teste *Cromero loc. cit.* grossos argẽteos sexaginta, qui faciunt quinq; fertones, idest Marcam & unum fertonem. Potissimùm per sexagenam numerantur grossi lati, vel grossi lati Pragenses, vel grossi medii lati, de quibus sæpissimè in antiquis Inscriptionibus legitur. Valor sexagenæ unius, correspondet valori marcæ unius, & fertonis unius. Unde si marca una v.g. latorum grossorum (grossum reducendo ad viginti grossos æreos) efficit 32. florenos monetæ æreæ nunc currentis, ferto quoq; efficit octo florenos similes, tunc sexagena una, talium grossorum latorum efficiet florenos 40. Antiquitus pro sexagenis Summæ Capitalis inscribebãtur Ecclesiis marcæ censuales plures vel pauciores ad proportionem sexagenarum summæ Capitalis, prout aliquando à decem sexagenis inscripta est pro cẽsu marca una, & rectè: nam reducendo 10. sexagenas in marcas, veniunt duodecem marcæ & fertones duo, unde

sic re-

ſic reducendo octies ſexagenas decem, prodibunt marcæ 100 à quo centenario marcarum venient pro cenſu marcæ octo.

FLORENUS. Florenus Polonicus in antiquis Inſcriptionibus expreſſus, eſt medium ſexagenæ co- tinens in ſe groſſos argenteos triginta, quòd deducitur ex *Cromero in Deſcriptione Pol. lib: 1. pagel. 109. tit. Res nummaria Poloniæ*; ubi inquit: Groſſus quidem (ideſt major) argenteus eſt cum admixto ære, ſexagenæ ſive Copæ pars ſexageſima, marcæ quadrageſima octava, floreni triceſima. Quare cùm ante] ducentos vel trecentos Annos factæ Inſcriptiones florenorum Polonicalium, intelligendi ſunt floreni groſſis 30. argenteis non æreis conſtantes, à quorum groſſorum valore dependet valor floreni memorati, ideo ſi additur in Inſcriptionibus antiquis: *Mediam ſexagenam latorum groſſorum*, debet florenus tanti æſtimari, quanti æſtimantur triginta groſſi lati: v.g. ſi groſſus ille argenteus æſtimabitur groſſis æreis 14. tunc florenus ille erit valoris 14. florenorum modernorum æreorum. Quodſi in Inſcriptione antiqua Reemptionali aſſignati ſunt floreni v.g. triginta mo-

netæ

netæ & numeri Polonicalium in mediãtib9, quales olim florenos 30. in mediãtibus pro cẽsu Annuo Reemptionali pro sũma Capitali quingẽtorũ florenorũ super Bonis *Orzyszow* & *Miedniewice* in terra Sochaczoviẽsi, mediante cõsẽsu Regio, Nicolaus Wolski Castellanus Sochaczoviensis, Perillustribus Prælatis & Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ Curnicensis in Dioecesi Posnanien: sitæ, in Curia Regis Poloniæ Feria quarta proxima post Festum Sancti Petri ad vincula *Annô Domini 1519.* inscripsit & assecuravit, tunc grossus talis medians (qui est de genere minutæ pecuniæ) tribus vel quatuor grossis æreis, consequenter florenus tribûs vel quatuor florenis æreis quales præsenti sæculo currunt æstimandus erit, sed super hoc arbitrium Judicis esto, mihi satis est innuisse.

SCOTUS, Scotus designat duos grossos argenteos, comprobante id ipsum *Cromero loco citato*; ubi dicit: grossus quidem argenteus cum admixto ære est sexagesimæ pars sexagesima, floreni trigesima, scoti dimidia, unde scotus tantum valet, quantum duo grossi argentei antiqui, & viginti quatuor scoti constituunt marcam unam, duodecem scoti me-

diam marcam, sex scoti fertonem unum. Ad valorem scoti cognoscendum præstat, quia apud *Herburtum ver. Vulnus. §. in percussionibus militum* scotus accipitur pro marca, non quia marca idem sit quod scotus, sed quia per hoc forte designatur, unum grossum scoti 24. grossis, hoc est mediâ marcâ, alterũ itidem 24. grossis seu media altera marca æstimari debere. Et quamvis Gregorius Czáradzki in suo Processu Judiciario *cap. 4. puncto: Karánia pieniężne. §. dla błędu w dacie*, sex scotos *apud Herburtum verbo. Processus* expressos ad duodecem grossos, Joannes item Swoszowski *w postępku prawnym skroconym w Volumini Legum post Constitutionem Anni 1611. inserto, fol. 12. tit. Introductio sprawy §. gdy tedy strona.* similes sex scotos poenales bifariam acceptos idest Judicio sex, parti quoq; sex solutos ad viginti quatuor grossos Polonicales usuales reduxerint, id minimè obstat, quin pro scoto grossi argentei vel valor eis correspondẽs pro Decimis vel Censibus solvatur, quia illi scoti ad duos grossos usuales reducti, sunt poenales, poenales autem scoti non patiuntur reductionem juxta antiquæ monetæ pretium, sicut non patitur reductionem poenalis marca, sed pro ea usuales 48. grossi ærei persolvuntur.

No-

Notandum primò: Nemini licere monetæ cujuscunq; illa speciei sit, pretiũ elevare propria authoritate, sub pœna confiscationis bonorum. Unde Civitatibus Torunensi, Gedanensi, & aliis, ne in commerciis cariùs monetâ utantùr, quàm definitum est, *Constitut. Anni 1620. fol. 11. tit.* Monetá. *Et Constitutio. Anni 1598. folio 688. titulo O Mynicy.*

Notandum *secundò*: Appretiare vel depretiare in Regno monetam, solius Regis & Reipublicæ negotium est: & ita aureos nummos antiquitus, 30. duntaxat grossis æstimatos, appretiavit, extendens pretium ejus usq; ad florenos nostrates octodecem. Ita pariter depretiaverat taleros, & ortones, & hoc ob emergentia damna, ducens talerum antiquum æstimandum esse duntaxat duobus florenis, & grossis quindecem. *Dicta Constitut. Anni 1620. folio 1. tit. Moneta.* Terrarum tamen Haliciensis & Podlachiæ pecuniam in Castris per anterius depositam, antiquo cursu currere declaravit eadem Respubl. eximens dictas Terras à depretiatione monetæ. *Constit. Anni 1623. fol. 7. tit. Monetá.*

Notandum *tertiò*; Licèt prohibitum sit lege pu-

blica pretia monetarum augere vel diminuere privata authoritate, ne de illis statuta & ordinationes Reipubl. infringantur, in casu tamen redimendorum captivorum liberum est unicuiq; cariùs ac cariùs monetam æstimare, & eam disponere. *Constit. Anni 1623. fol. 7. tit.* Moneta.

Notandum *quartò*; Exactoribus teloneorum demandatum esse, ut non depactent mercatores, sed ab illis recipiant teloneum debitum, idq; currenti moneta non extorquendo ab eis auream aut argenteam *Constitut. Anni 1667. fol. 79. tit. Auctio.* Neminem quoq; exactorem ex moneta lucrum debere habere, sed talem ad thesaurum Regni reddere debere monetam, qualem accipiunt: declaratum est *Constit. A. 1621. f. 16. tit.* Tribunał Rádomſki.

Notandum *quintò*; Quòd Respublica volens providere bono suo ne moneta Regni extra fines Poloniæ ab exteris depretietur, prout depretiabatur, prohibuit evectionem nostrarum mercium, sed ut ipsi mercatores ad eas conquirendas veniant in Poloniam, ideo in Majori signanter Polonia demãdata est occlusio terræ *Constitut. Anni 1621. folio 19. tit.* o záwárćiu źiemie.

AR-

ARTICULUS QUARTUS.

De reductione monetæ antiquæ, in Regno Poloniæ.

REducere nihil est aliud, quàm currentis ad præsentis monetæ pretium ad valorem antiquæ conformare. Fundamentum hujus reductionis provenit ex ipsamet moneta antiqua, seu ipsius pondere & bonitate intrinseca; cui quoniam currentis ad præsentis monetæ valor adæquare nequit, meritò ad proportionem valoris antiquæ monetæ debent in pecunia currenti fieri additamenta. Scribit enim *Rota apud Ludovisium decis. 42.* ubi sic legitur: *Succedit communis Conclusio. quòd quando pecunia in pondere & bonitate intrinseca mutatur, solutio debet fieri in moneta antiqua, si fieri potest, vel si non potest, de nova ad valorem antiquæ.* Et ita ab omnibus fere Judicibus sententiatum est oportere fieri solutionem censuum inscriptorum, in pecunia præsenti, ad æstimationem ejus, quæ antiquitus usualiter expendebatur.

Difficultas tamen est in eo, qualisnam æstimatio monetæ, ut pote marcarum, fertonum, sexagenarum, grossorũ, scotorũ &c. fieri debeat? unde à variis Judicibus variæ de hacce æstimatione prodierũt deci-

decisiones, de quibus infra suo loco. In *Volumine Legum* Regni legitur Rempublicam etiam ad valorem antiquorum grossorum respexisse. *In Constitutione enim Anni 1613. fol. 16. tit. Salaria Wojewodztwa.* ab inscriptione donationis, resignationis, obligationis, transactionis &c. assignatos grossos quinque, ad flore. 5. si sit inscriptio 5. philurarũ: ab ingrossatione alicujus Privilegii grossos quinq;, ad florenos currentes quatuor: ab ingrossatione alicuius Inscriptionis grossos quinque, ad florenos duos; à Decreto quolibet sive per contumaciam sive per controversiam lato grossos quinquè, ad florenos sex: *per Constitutionem novellam Anni 1726.* reduxit. Ex triginta quoque grossis valoris aurei nummi *apud Herburtum verbo. aureus nummus.* grossum unumquemq; grossis usualibus æreis octodecem æstimandum esse duxit. *Constitutio Anni 1717. fol. 63. tit.* Skar Koronny.

In Comitiis Regni Varsaviensibus coram Judicio Sacræ Regiæ Majestatis & Consiliariorum Regni, Nuntiorumq; Terrestrium *Annô 1641.* Feria quinta ante Festum S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, in Causa inter Conventum Tynecensem &

Nobi-

Nobilem Zabáwski Bonorum *Gołykowice* ejusdem Conventus Tenutarium, ad idem Judicium Sacræ Regiæ Majestatis, mediãte Decreto Tribunalis Regni Lublinensis mota fuit quæstio nondum à quopiam Judicio & Officio Regni decisa tenoris talis: Quantum spectat quæstionem novi emergentis de solvendis antiquis ante hominum memoriã inscriptis Ecclesiasticis censibus: utrum moneta ad præsens currenti, an juxta illius temporis, quo Inscriptiones factæ sunt statum, & probitatem monetæ tunc existentis solvendi sunt necne? Resolutum & decisum est sic: *Sacra Regia Majestas cum iisdem Consiliariis Regni, Nuntiis Terrestribus eandem quæstionem disjudicando & decidendo, habita ratione justitiæ & æquitatis; tum considerat à probatione monetæ, quæ supra Annos centum retroactos nonnisi solido argento & auro in Regno hocce constitit, sententiare dignata est: ut deinde census antiqui tempore memoriam hominum excedente inscripti, attento Inscriptionum tenore & juxta ipsarum verba sensumq; æstimentur.* Simile deinde Judicatum Tribunalitium resultavit sub actu Petricoviæ in Judicio Ordinario Tribunalis Regni Feria sexta

post

post Festum Sancti Martini Pontificis proxima *Annô 1699.* prolatum, & ad Acta Castrensia Posnan: in *Annô 1744.* per oblatam porrectum, quo mediante, similis monetæ summæ exolutio juxta resonantiam Inscriptionis est demandata. Ante omnia ergo inspiciendus est contextus Inscriptionū reemptionalium; num se quispiam inscribens obligavit in argento vel auro census solvere? num marcas, & quales marcas, num fertones, num scotos, nū in specie taleros vel aureos nummos pro censu inscripserit? quia si in specie taleros vel aureos v.g. 30. pro censu inscripsit pro summa Capitali talerorum vel aureorum, v.g. 500. tunc talis Inscriptio non subjacebit ulli interpretationi aut reductioni ad taxas in Constitutionibus Regni expressas, sed debet solutio fieri aureorum aut talerorum in specie, non obstante eo; etiamsi pretium aurei accreverit vel decreverit. Si verò in Inscriptionibus Reemptionalibus non reperitur, ut Census à summis talerorum vel aureorum Capitalibus, solvantur in specie taleri vel aurei, Inscriptiones hujusmodi in puncto solvendorum cēsuum suberunt interpretationi & arbitrio Judicū,

num

num velint aureos nummos Censuales seu unum illorum ad sex vel ad duodecem florenos Polonicales usuales reducere.

Quantùm ad valorem sexagenarum, marcarum, fertonum, scotorum, latorum grossorum, major in reducendo occurrit difficultas: cùm enim prædictus valor sexagenarum, marcarum & fertonum dependeat à pretio grossorum antiquæ monetæ, meritò judicibus gravius visum est decidisse, num grossi illi sint ùt Pragenses? num ùt lati? num ùt medii lati? num ùt grossi communis monetæ Polonicalis taxandi? Congesserunt in unum pretia dictarum monetarum Judices Compromissarii in sua sententia Arbitrali, in Causa inter Nicolaum Oborski, Episcopum Laodicen: Suffraganeum, Schlolasticũ Cracoviensem ab una, & Generosum Joannem Pisarzewski Judicem Terrestrem Ducatuum Oświecimensis & Zatorien: nomine Generosæ Nobilitatis dictorum Ducatuum occasione Decimarum ex nonnullis Villis eorundem Ducatuum ad Scholasteriam Cracovien: provenientium *Annò 1676, d. 23. Junii* latâ, ac tandem authoritate Ordinaria Illustrissimi olim Andreæ Trebicki Episcopi Cra-

covien: firmatâ & approbatâ, decidētes: quòd juxta taxam, latus grossus Pragensis valeat quatuordecē grossos monetæ currentis, Marca una & grossi duodecem, valent florenos viginti octo Polonicales, sexagena verò lata florenos valet viginti octo Polonicales, marca lata valet florenos Polonicales viginti duos, media marca valet florenos Polonicales ūdecem, grossi octodecē valent florenos octo & grossos duodecem Polonicales, grossi lati triginta valent florenos Polonicales quatuordecem, grossi duodecem lati, valent florenos quinque & grossos octodecem, Polonicales, deniq; grossi sex lati valent florenos duos & grossos viginti quatuor.

Congesta verò sunt eadem pecuniarum pretia ex præjudicatis anteriorum Judicum Spiritualium Marcas latorum grossorum Pragensium ac etiam fertones antiquos ad valorem monetæ antiquæ reducentium: & quidem *1mò* ex Decreto olim Illustrissimi Jacobi Zadźik, Episcopi Cracoviensis de *Annô 1639. Lunæ 5: Mensis Septembris* inter Reverendum Andream Jarochowski, Parochum Jangrotensem, & Possessorem Villarum *Dobiesßowice, Tampkowice, & Perzowice*; ratione Decimarum pecunialium ex iisdem Villis provenientium, ad va-

lorem quatuor marcarũ PragensiũCitatũ lato, quo mediante una quæq; dictarũ Marcarũ quinque Pragẽsiũ reducta est ad florenos currẽtis monetæ 22.

2dò. Ex Decreto Illustrissimi olim Petri Gembicki, Episcopi Cracoviensis *de Annô 1644. die Mercurii 6. Mensis Julii;* inter Venerabile Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Floriani ad Cracoviam Actores & Suburbanos, Civitatis Sacræ R. Majest. *Biecz* ratione reductionis quinque marcarum latorum grossorum Pragensium pro decimis ad idem Capitulum spectantibus citatos prolato, quo mediante prælibatus Episcopus singulas marcas ad viginti duos florenos currentis monetæ reduxit. Quod tandem Decretum Episcopale, Illustrissimus olim Mathias Lubiński, Archi-Episcopus Gnesn: in termino ex appellatione per Oppidanos Becenses interposita moderando, sex taleros Imperiales pro unaquaq; Marca solvi debere Decreto definitivo Lovicii *Annô 1644, die Lunæ nona Mensis Decembris* prolato, ad Acta Consistorii Cracoviensis *Annô 1692. die Lunæ 17. Mensis Augusti* per oblatam porrecto adinvenit.

3tiò. Et Transactione officiosa inter Reverendũ

Włoskiewicz Plebanum in *Chechło* & Priorem totumq; Conventum Bielanensem respectu reductionis unius marcæ pro Decima ex agris Sculteтialibus in Villa *Ryczow* sitis & in Prædium coarctatis, de Actu in Eremo Montis Argentei *die 28. Martii Annô 1648.* initæ, & ad Acta Episcopalia Diœcęsis Cracoviensis *Anno eodẽ Martis 26. Maii* per oblatam porrectæ; pro qua quidem Marca prædictus Conventus Bielanensis obligavit se Parocho *in Chechło* viginti unum florenos quotannis persolуturum.

4tò; Ex Decreto Judicum Delegatorum à S. Sede Apostolica *Annô 1644.* inter Reverendum Sadkowski Plebanum Szczepanovien: & inter Famatos Oppidanos Ustienses, occasione Decimarum ex agris dictorum Oppidanorum ad dictam Ecclesiam Szczepanoviensem spectantium citatos in tertia instantia lato, ad Acta Stanislai Szembek Officialis Generalis Cracoviensis per Oblatam porrecto, quò mediante prædicti Judices decimam pecuniariam ad dictam Ecclesiam solvi debere declarârũt, & fertonem antiquum (quales quatuor una marca capit) in Privilegio Casimiri Regni Poloniæ

loca-

locationis dictæ Civitatis *Uście*, *de Annô 1360. Feria 2da post Festum Ascensionis Domini* inducto specificatum adhærendo taxæ pecuniæ antiquæ ad quinque florenos & septem & medium grossos Polonicales reduxerunt.

5tò, Ex Decreto definitivo Curiæ Episcopalis Cracovien: *Annò 1646 die Mercurii 5. Mensis Septembris*. inter Reverendum Joannem Dobrzycki, Altaristam in Ecclesia Parochiali B. M. V. in Circulo Cracov: sitæ tanquā Donatarium Episcopalem, & Laboriosos Kmethones & Incolas Villarum *Kapiele* & *Jeżowka* occasione reductionis unius fertonis latorum grossorum Pragensium pro Decimæ ex unoquoq; laneo Kmethonali dictarum Villarum pendi soliti citatos prolato, quo mediante quilibet hujusmodi ferto ad valorem quinque florenorum currentis monetæ reductus est.

6tò; Ex Decreto Nuntiaturæ Apostolicæ inter Conventum Czyżycensem & Kmethones ac Incolas Villæ Lipnik *de Annô 1649. die 28 Maji*. Decreti Judicii Ordinarii Cracovien: inter easdem partes *Die 3. Martii* Anno eodem latis quo mediante Incolæ Villæ *Lipnik*, ad solutionem duorum florenorum fuerant condemnati retractatoriô. *7mò*

7mò: Ex Decreto Nuntiaturæ Apostolicæ, inter Famatos Proconsulem, Consules totamq; Communitatem Oppidi Ustiensis & Reverendum Martinũ Papenkovium Parochum Ustiensem *Die Lunæ 7. Mensis Augusti, Annô 1637.* Ac etiam alio definitivo Cõsistorii Generalis Cracoviensis inter Reverendum Martinum Golißzewicz Plebanum Vadovicensem, & Famatos Oppidanos Vadovicẽses *die Mercurii 12. Septembris Annô 1646.* ex seriis controversiis prolatis.

Subsequenter etiam post dictum Annum 1676. ac Decretum in eo latum superiùs de Actu specificatum, supervenerunt Decreta reductionis Marcarum ac fertonum. Et quidẽ 1*mum Annô 1693. die Veneris 27. Februa.* inter Reverẽdissimũ olim Gasparem Cieński, Decanum Cathedralem Cracov: Actorem, & Kmethones atq; Incolas Villarũ *Wiewiorka & Roża* in Causa rationeDecimarũ ex iisdẽ Villis ad Decanatum Cracov. spectantium Citatos prolato, per quod Judiciũ Consistoriale Crac: Incolas & Kmethones dictarum Villarũ pro uno fertone decimali de singulis mãsis proveniẽti ad quinque florenos & grossos septem cum medio monetæ

cur:

currentis solvendos obligatos esse juxta Judicii taxationem adinvenit.

2dum: *De Anno similiter 1693. die Veneris 27. Mensis Februarii*, inter eundẽ Reverẽdissimũ Cienski, Decanum Cathedr: Cracov: Actorẽ, & Kmethones ac Incolas Villarum *Zasow, Mokre* & *Boronia*; occasione solutionis decimarum fertonalium citatos, latum, in quo prædictarum Villarum Incolæ & Kmetones pro unoquoq; fertone ex singulis laneis pendendo, in vim decimæ juxta præjudicata ad quinque florenos & grossos septem cum medio adstricti esse reperiuntur.

Tertium Eminentissimi S.R.E. Cardinalis Joannis Lipski Episcopi Cracov: *de Annô 1738. Veneris 31. Januar*; inter Reverẽdissimũ Sebastianũ Komecki, Ecclesiæ Cathedr: Crac: Custodem Actorẽ, & Laboriosos Incolas Villarum *Swiątniki, Szczytniki, Trąbki* & *Gorki*; occasione reductionis marcarum & fertonum antiquorum pro censu seu annua pẽsione prædicto Rdmo Custodi annuatim solvi solitarum Citatos latum, quo mediante unaquæq; marcarum ex dictis villis provenientium ad Tynphiones viginti unũ, numerando singulũ Tynphionem

nem groſſis Polonicalibus triginta octo. Ferto verò unusquisq; ad Tynphiones quinque; groſſos ſeptem cum medio ſunt reductæ & reducti. Ac etiam aliud ſubſequens Sacræ Nuntiaturæ *Annô 1743. Veneris 26. Aprilis.* Varſaviæ inter easdem partes ex vi appellationis latum, prioris Decreti reſtrictivum ſeu moderativum in eo; quòd prædicti Incolæ pro Marca non Tynphiones, ſed florenos currentes viginti unum, item pro fertone non tynphiones, ſed florenos ſimiles quinque, & groſſos ſeptem cũ medio ſolvere Reverendiſſimo Cuſtodi teneantur.

Tali igitur hactenus valore Marcæ & fertones groſſorum latorum & aliorum monetæ Pragenſis in Regno Poloniæ, à Judicibus variorum ſubſelliorum æſtimabantur, donec tandem aliûs æſtimationis nunc recẽter modum præſcriberet Decreto ſuo definitivo Curia Romana, in Cauſa & Actione Judiciaria inter Reverendiſſimum Michàélem Szymánſki, Præpoſitum Eccleſiæ Parochialis Krzepicenſis; totumq; Conventum Canonicorum Regularium Lateranenſium S. Auguſtini Actores appellantes ex una, & Magiſtratum totamq; Communitatem Oppidi Krzepicenſis ream conventam & appellatam

ex

ex altera partibus de & super extraditione decimarum seu Missalium per Incolas dicti Oppidi dicto Reverendissimo Præposito de singulis laneis majoribus ac minoribus præstanda, tum quoq; de reductione quatuor grossorum monetæ Pragensis *Annô 1744. die 11. Mensis Januarii.* ex seriis controversiis lato, & ad Acta Consistorii generalis Cracov: *Lunæ 6. Aprilis Annô 1744.* per oblatam porrecto, quo mediante decisum est, prout infra, unum grossum monetæ Pragensis, grossis Polonicalibus currentis monetæ æreæ viginti octo æstimari, & pro uno grosso Pragensi in iisdem 28. grossis solutionē fieri debere. Puncti ergo secundi, ex dicto Decreto desumpti tenor sequitur talis; *Item pari nostra definitivæ sententia ac per caput separatum dicimus, pronuntiamus, declaramus, & definitivè sententiamus malè pariter fuisse & esse judicatum à dicto Reverendissimo Domino Auditore Nuntiaturæ Poloniæ in altera parte ejus sententiæ concernente reductionem quatuor grossorum monetæ Pragensis, ad quatuordecem tantùm grossos monetæ Polonicalis pro quolibet grosso Pragensi, bene verò ad Nos appellatum, ideoq; dictam sententiam in hac parte fore ac esse revocan-*

vocandam & infirmandam, prout revocamus & infirmamus, dictosq; grossos quatuor Pragenses quos ultra dictas duas mensuras siliginis & avenæ, ut supra tenentur persolvere Oppidani Krzepicenses, taxandos fore ac esse ad rationem grossorum 28. Polonicalium pro unoquoq;: per Nos taxamus & liquidamus & ad dictam rationem in pecunia solvi volumus & mandamus &c.

Marca, igitur una quadraginta octo grossorum Monetæ Pragensis juxta præallegatam reductionẽ Romanam grossorum Pragensium valet florenos currentis monetæ 44. & grossos quatuor, & non immeritò: cùm enim marca una latorum grossorũ constet, prout infra florenis triginta duobus. Imò etiam 36. Marca grossorum Pragensium (qualiũ unus juxta *Cromerum loco citato.* quarta parte latũ grossum superat: & *apud Herburtum verbo. Moneta* docetur, supra marcam latorum grossorum ad Marcam Pragensis monetæ debere fieri additiones) de æquitate, considerato scilicet pondere & bonitate intrinseca grossorum Pragensium, constabit florenis 44., grossis 4. Media marca latorum gossorum Pragensium constabit florenis viginti duobus

Polo-

Polonicalibus grosso uno, Ferto similium grossorũ Pragensium constabit florenis 11. grosso uno.

Marca argenti puri in Inscriptionibus aliquibus antiquis apposita valet tantum; quantum valet ad præsens Marca argenti puri. Ita declaravit Sacra Regia Majestas cum Consiliariis & Nuntiis Terrestribus in Comitiis generalibus Varsaviensibus in causa inter Conventũ Tynecensem, & Nobilem Zabáwski, Tenutariũ Bonorũ *Gelkowice*, coram eadẽ S. R. Majest. mota & vertente *Annô Domini 1641.* Feria 5. ante Festum S. Matthæi Apost. & Evangelistæ hîs verbîs, *Sacra Reg: Majest. cum Consiliariis Regni, Nuntiis Terrestribus decidendo quæstionẽ, habita ratione justitiæ & æquitatis sententiare dignata est, ut census aliqui tempore memoriam hominũ excedente inscripti attento Inscriptionũ tenore juxta ipsarum verba sensumq́; æstimentur: ubi nimirum à Marcis argenti puri (ùt in præsenti Conventus Tynecensis & præfati* Zabáwski *casu) inscriptæ sunt marcæ argenti, ibi eadem marcæ puro argento aut pretio & valore puri argenti pro tempore existenti, Ecclesiis, locis piis & eorum Rectoribus, seu Administratoribus dependantur & exolvantur Decreta*

præsenti mediante. Quare si marca argenti puri valet 36. Tynphyones, qui reductivè faciunt florenos 45. & grossos 18, tunc census 36. marcarũ argenti puri in Inscriptione appositus faciet florenos mille sexcentos quadraginta unum, grossos 18.

Marca latorum grossorũ seu valor ejus dependet ab æstimatione unius grossi lati, unde quia *apud Herburtum verbo. Moneta* unus grossus latus valet 18. denarios, quemadmodum medius latus grossus valet novẽ denarios, Marca latorũ grossorũ valebit 864. denarios, qui Decretô reductionis Marcæ latorum grossorũ per Perillustrem olim Stanislaum Kráiewski, Canonicũ ac Sede vacãte Archi Episc: Gnesnen: Administratorẽ Tribunalis Regni Præsidentẽ, in Causa inter Adm̃ Reverend: Christophorum Piaseczyński, Præpositum Kalinoviensẽ Actorem, & Magnificũ Raphaëlem Wężyk, Capitaneidam Siradiensem, occasione census sex Marcarũ ad Ecclesiã Kalinovien: provenientis Citatũ *A. 1679. Die Mercurii 8. Mensis Martii:* Petricoviæ lato, ad Acta Consistorii Posnaniensis generalis *die Jovis 10. Januarii Annô 1743.* per oblatam porrecto, 36. florenis sunt taxati. Sed subsequentibus duobus

præ-

præjudicatis Tribunalitio Petricoviensi & Castrē si Capitaneali Posnaniensi deducitur, Marcam latorū grossorum valere florenos triginta duos Polonicales usuales. Media ergo Marca latorū grossorū valebit flor: 16., ferto talium grossorū valebit flor. 8.

Marca mediorum latorum grossorum constans 48. mediis grossis, talis, unumquēq; grossum latum, reducendo ad grossos 10. valet florenos Polonicales sexdecē, quā ita valere debere definivit Judicium Tribunalis Regni in Decreto potioritatis inter Creditores Czarnkovianos de Actu Petricoviæ Feria 2. post Dominicā Invocavit Quadragesimalem proxima *Annô 1687*. prolato, & per oblatam ad Acta Castrensia Posnaniensia Feriâ 3. post Festum S. Lucæ Evangelistæ proxima *Annô 1740*. porrecto tenoris talis: *Et primo quidē loco summā 48. Marcarū mediorū latorū grossorū A. 1467. modo reēptitio ex cēsu per 4. marcas quotānis pēdēdo iīscriptā in capite potioritatis collocat, eādēq; in Bonis præfatis hærere debere declarat. Nihilominus quoniā de quātitate marcarū præfatarū grossis mediis latis numeratis nihil à partibus constituti producitur, Ideo Judiciū præsens præcidendo ulteriorem de provenientia cen-*

sus

sus controversiam, marcam quamlibet tam Originalis summæ, quàm & censualis ad sexdecem florenos Polon: currentis monetæ reducit, eodemq; constituto pretio in futuros tantùm ab actu præsenti annos, Possessores bonorũ census præfatos persolvere tenebũtur. Vigore ergo hujusmodi Tribunalitiæ reductionis mediorum grossorum latorum, Judicium Castrense Posnaniense processit, cùm Decreto suo mediante Feria 2. Post Festum S. Margarethæ Virginis & Martyris proxima *Annô 1739.* Adm: Rndo Felixiewicz, Vice-Custodi Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis, uti Altaristæ Altaris S. Agnetis in eadem Ecclesia Cathedrali Posnaniensi, siti, quinque marcas mediorũ latorũ grossorũ ex bonis Villæ *Kosuty*, pro censu annuo, per sexdecẽ florenos unamquamq; marcã computando solvere debere Hæredes & Possessores dictorũ Bonorũ *Kosuty* adstrinxit.

Sexagena latorum grossorum Pragensium continens in se grossos Pragenses sexaginta, qui efficiunt marcam unam & fertonem unum grossorum Pragensium latorum, valet florenos currentes 55. grossos 5. Media sexagena grossorum Pragensium, valet currentes florenos viginti septem grossos septemdecem solidum unum.

Sexagena latorum grossorum, grossum quemlibet grossis usualibus viginti æstimando valet flo-r-nos Polonicales usuales monetæ æreæ 40. media sexagena latorũ grossorum valet florenos viginti.

Marca quadraginta octo grossorum Polonicaliũ inmediantibus, grossum unum quatuor grossis usualibus ad præsens computando valet florenos sex & grossos duodecem.

Marca una antiqua pecuniæ numeri & monetæ Polonicalis in Regno curentium valet aliquando florenos quinq; grossos quatuor, aliquando florenos tres grossos sex. Valor ergo istius Marcæ non reperitur Decreto alicujus Judicis decisus, sed magis à conventione concordantium dependet, quemadmodum de valore talium marcarum Præpositum Paczanoviensem cum quodam Nobili debitore census Ecclesiastici in Marcis pecuniæ numeri & monetæ in Regno currentium memini concordâsse.

Marca monetæ Cracoviensis à loco Officinæ monetariæ dicta, valorem monetæ ibidem cusæ respicit, & quoniam ex superiùs dictis in Officinis monetariis Cracoviensibus cusos esse medios latos grossos, & aliam minutiorem monetam, utpote

ſegroſſos, trigroſſos, mediātes deducitur, ideò marca monetæ Cracovienſis aut reducetur ad medios latos groſſos, & æſtimabitur tanti quanti valet Marca mediorum latorū groſſorū, aut reducetur ad ſegroſſos, & æſtimabitur tanti, quanti æſtimaretur Marca quadraginta octo groſſos continens, unumquemquè illius groſſum ad ſex groſſos uſuales reducendo, & ſic de cæteris.

Florenus antiquus argēteus valet tantum, quātū valet media ſexagena prout ſupra: aliquando accidit florenum taxari minutiori monetâ *v.g.* mediantibus, unde florenus valebit tantum, quantum triginta groſſi mediantes &c.

Scotus duos groſſos argēteos cotinēs, ſi illi erūt lati Pragenſes valebit florenū unū & groſſos 26. uſuales, ſi vero illi duo groſſi, erūt lati groſſi quorū unus reducitur ad uſuales groſſos 20, tunc ſcotus unus valebit floreno uno currenti & groſſis æreis 10.

Et hæc, quæ de Cenſibus dicta ſunt, cedant ad gloriam illi, qui nos docuit reddere quæ ſunt D E I DEO, & quæ Cæſaris Cæſari JESU CHRISTO vero DEO & Homini.

TRA-

TRACTATUS
De DECIMIS
QUÆSITUM PRIMUM
Quid, & quotuplex sit decima?

DIco *primò*: Decimam ſic definiri. *Eſt omniũ bonorum, licitè quæſitorum, quota pars, DEO eiusq́ Miniſtris divina inſtitutione, humana verò cõſtitutione, dictante etiam naturali ratione, debita. ita Moneta in tract: ſuo de decimis: cap. 2.*

Dicitur autem in definitione. *Quota pars*; hoc eſt decima *ut habetur in cap. 1. cap: cum homines, tit: de decimis.*

Licèt enim, aliquando ſolvatur duodecima, quindecima, vigeſima, vel alia quota, tamen habetur pro decima. *Ita Moneta dic: cap. 2. num. 4. per text. in cap. in aliquibus. §. Finali: tit. de decim.*

Dico *ſecundò*, ſpecies decimarum, duæ potiſſimum à Doctoribus ponuntur: Quod aliæ ſunt reales, ſeu Prædiales, & aliæ perſonales. *Ita Moneta ubi ſuprà, cap. 3. num. 5.*

Reales ſeu prædiales decimæ vocantur: Quæ de fructibus ex re ſeu prædio perceptis ſolvi debent:

ut colligitur ex cap. 1. ex cap. ad Apostolicæ: & ex cap. Pervenit, tit. de decimis, & Moneta, ubi suprà, cap. 3. num. 6. scripsit.

Personales autem decimæ apellanrur: quæ ex acquisitis ex industria, & artificio, vel contemplatione personæ, solvi debent. *Ut habetur in dic. cap. ad Apostolicæ, ibiq; Glossa, & Doctores.* v.g. ex negotiatione, vel ex Bello captis. Similiter ex piscatione, venatione, & aucupio. *Ita Moneta dic. cap. 3. numero 7.*

Et quamvis, is idem *Moneta ibidem numero 10.* Personales decimas, etiam & nunc deberi Tamen *Piasecki noster, in praxi sua Episcopali, par. 2. cap. 4. art. 9. numero 31. contrarium scripsit: nimirum,* quòd decimæ Personales, in tota Christianitate non solvuntur, pro quo allegat *& Navarrum in manuali, cap. 21. num. 31.* ideò & nos de illis parum vel nihil dicemus, sed tantùm de prædialibus.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quo jure, decimæ debeantur?

MAgna est pugna inter Theologos, & Canonistas, respectu hujus quæsiti. Theologi enim tenent, quod,

quòd hodie de jure tantùm humano seu Ecclesiastico debeantur. Canonistæ autem firmiter tuentur; quòd non solùm jure Ecclesiastico, sed etiam jure divino, & naturali etiam hodie debeantur, ùt videre est *apud Covarruviam lib. 1. variarum resolutionum cap. 17. Moneta ubi suprà: cap. 1. Fagnianus parte 1. lib. 3. decretalium ad cap. in aliquibus de decimis à num. 3. fol: 440.* Cui opinioni adhærent quoq; & non nulli Theologi, *ut refert Moneta, & Fagnianus pro hac opinione Canonistarum, extant glossæ, in cap. à nobis, Glossa 2. in cap. Nuper, Glossa penultima, tit. de decimis.* Et hanc opinionem Canonistarum secutus est *Lipski noster, in decade quæstionum publicarum, quæst. 1 adfertq; pro hac opinione varios textus Sacræ Scripturæ.*

Primò Exodi cap. 22. ubi dicitur: Decimas & primitias tuas non tardabis offerre.

Secundò, Levitici cap. ultimo, ubi sunt hæc verba: Omnes decimæ terræ, sive de pomis arborum, sive de frugibus, domini sunt, & illi sanctificãtur.

Tertiò; Numerorum cap. 18. dicitur: Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israël in possessionẽ, pro ministerio, quô serviunt mihi in tabernaculo fœderis.

Quartò, Deutoromiorum *cap. 14. adsunt hæc verba:* Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra.

Quintò cap. 3. Malachiæ dictum est: Inferte omnem decimã in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me, super hoc, dicit Dominus.

Nec obstat: quòd Theologi dicunt: Præcepta legis veteris, per legem novam seu Evangelii extincta esse, quia Canonistæ, & cum illis *Lipski noster loco citato, respondent.* Præceptum hoc legis veteris esse morale: moralia autem præcepta, obligãt etiam tempore novæ legis, *ut tradit Gratianus in Canone finali* §. *His ita distin. 6.*

Sed & ex lege nova seu Evangelii: comprobatur. Nam Lucæ *cap. 11. & Mathæi 23. illud vetus jus renovatum esse videtur, in illis verbis:* Væ vobis Scribæ & Pharisæi Hypocritæ, qui decimatis Mentha, & Anetum, & Cyminum, & reliquistis, quæ graviora sunt legis, judicium & misericordiam, ac fidem, hæc oportuit facere, & illa non omittere.

Ad hæc, hæc opinio Canonistarum comprobatur, ex Concilio Mogũtinensi, tempore Caroli Magni

gni celebrato, *ubi cap. 33. sic dicitur:* Admonemus, atq; præcipimus: ut decimas, de omnibus dari non negligatur, quia DEUS ipse dari sibi constituit; comprobatur *& ex cap. 11. sess. 25* de reformatione Concilii Tridentini, ubi dicitur: solutionem decimarum, debitam esse DEO. *Et idem asseruit Rota Romana, decis. 1. in antiquis, tit. de decimis & decis. 14. tit. de judiciis in novis.*

Ex quibus colliguntur duæ causæ, præceptarum decimarum.

Prima quidem & præcipua. Quòd eas, Dominus Omnipotens reservavit, in signum universalis Dominii sui. *Ut habetur in cap. cum non sit & cap. Tuæ, tit. de decimis. Prout, & in Constitutionibus nostris Provincialibus lib. 3. tit. de decimis, & in Constitutione Provinciali Gembiciana, fol. 31. tit. de decimis.*

Altera causa est; sustentatio ministrorum DEI, & Ecclesiæ; *ut habetur in Canone, si ergo 12. quæst. 1. & in cap. Novum: tit. de decimis & lib. 3. Constitutionum nostrarum Provincialiũ, tit. de decimis, §. Item cum Levitis, tum in Epistola Pastorali: tit. de conservatione bonorum, & jurium Ecclesiasticorũ*

in

in Constitut. Wężykoviana, prima inserta, & à Sede Apostolica approbata.

Immo additur; decimas habuisse originem etiam ante legem scriptam, quando solùm vigebat lex naturalis. *Ita Moneta ubi suprà cap. 1. & Lipski noster dic. quæst. & alii Doctores: ad quos curiosum lectorem remitto, studendo brevitati.*

QUÆSITUM TERTIUM.

Ex quibus debeantur decimæ?

DIco *primò?* Decima de omnibus fructibus solvenda est. *Ita Moneta ubi suprà cap. 4. & alii communiter Doctores, probaturq; per textus juris Canonici. In cap. Non est in cap. Nuntios in cap. ex tranversa tit. de decimis.*

Ex quo infertur, quòd ex omni frumento, & grano, solvenda sit. *Ita Moneta, dic: cap. 4. idq; per textus allegatos, juris Canonici.*

Item ex herba, & aliis leguminibus, *text. in cap. 3. de decimis.*

Item ex fructibus arborum. *Ut habetur in Can- Decimæ 16. quæst. 1. & in dic. cap. Non est in cap. Cum homines; tit. de decimis.*

Item

Item ex Lino & canape. *Ut scripsit Moneta dicto cap. 4. num. 7.*

Item ex hortis, *ut habetur in dic. cap. Non est. Circa hoc tamen Moneta, ubi suprà num. 11. distinguit,* aut horti sunt Olitarii, in quibus tamen herbæ ut caules & alia olera crescunt, nascendi gratia; aut illi horti, continent fabas, & alia legumina. In primo casu dicit. Quòd ad usum Rectoris, ex illa decima, ita dari possit, ut hodie ex uno horto Curatus sumat, quantum sibi opus esset, illo die, & super singulos alios Parochianos, discurrat, & demum ad priorem revertatur. In secundo autem casu, dicit: si in parva quantitate colliguntur, ita ut solum sufficiant ad quotidianum usum; ita dicendum esset ut in primo casu, si autem in magna quantitate, ita, ut aliis vendantur, tunc, ex eis, integram decimam esse solvendam opinatur.

Item ex fæno in fasciculum alligato, *ut habetur, in cap. pervenit. tit. de decimis.*

Item de lignis, ut videlicet ex decem fasciculis, decima solvatur Rectori illius Parochiæ, ubi ligna creverunt. *Ita Cardinaliss & alii Doctores ad dictum caput, pervenit.*

Sed

Sed *Piaſecki noſter, loco citato, num. 30. ſcripſit,* conſvetudine generali per totum Orbem Chriſtianum, inductum eſſe, quòd de fæno, herbis, lignis, & aliîs ſimilibus non ſolvatur. Sicut etiam de decimis perſonalibus ſuprà, ex eodem Authore annotavimus.

Dico *ſecundò*: Decima ſolvenda eſt non ſolùm ex fructibus terræ (ùt diximus) ſed etiam molendinis tam aquaticis, quàm ad ventum. *Ut habetur in cap. pervenit, ibiq́; Gloſſa in cap. ex transmiſſa, in cap. in aliquibus tit. de decimis. Idem ſcripſit Moneta ubi ſuprà, cap. 4. num. 35. Doctoresq́; ab eo allegati.* Sed & in Conſtitutionibus noſtris Provincialibus, *lib. 3. tit. de decimis, folio 192. ubi ſic diſponitur.* De molendinis, mineris, fodinis, volumus antiquam conſuetudinem ſervari, in facienda, vel non ſatisfacienda ſolutione, decimarum ex iis.

Dico *tertiò:* Decima ſoluenda eſt, etiam de novalibus, idq́; Eccleſiæ Parochiali: in cujus finibus ſurgũt. *Text. in cap. cum contingatur, in cap. Quoniam tit. de decimis.*

Novale in genere ſumptum; eſt ager nunc pri-

mùm

mùm præcisus. *Ut loquitur textus in cap. 1. tit. de verborum significatione.* Sed quia aliqui adhuc dubitare poterant, quid propriè esset Novale, ideo alii dixerunt, Novale: esse terram, seu sylvam, quæ arboribus extirpatis ad culturam redigitur. Innocentius autem tertius *in cap. quid per Novale, tit. de verborum significatione, definit Novale sic.* Est ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuerit *de quo videatur Moneta dic. cap. 4. num. 50.*

Pro Regno nostro, de istis Novalibus, extat Bulla Leonis Papæ, *in lib. 3. Constitutionum Provincialium, sub tit. de Decimis Tenoris sequentis.*

LEO Episcopus, Seruus seruorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanũ Pontificẽ, votis personarum sibi & Sedi Apostolicæ devotarum, præsertim Regali, & Archi-Episcopali dignitate fulgentium, & per quæ dissensiones & jurgia tollũtur, libenter annuere, & his quæ propterea, providè facta fore prospexerit, Apostolici adijcere muniminis firmitatẽ, ac illa statuere, quæ circa præmissa conspexerit facere opportuna. Sanè pro parte Charissimi in Christo filii nostri, Sigismundi Poloniæ Regis, Illu-

stris, ac Venerabilis Fratris Joannis à Lasko Archi-Episcopi, & Primatis Gnesnensis. Nobis exhibita nuper petitio continebat. Quòd licèt aliàs, loca, & Terræ Regni Poloniæ, tam propter bellorum discrimina, quàm mortalitates, & alia impedimenta, antea excoli non potuerant; tamen postea multiplicātibûs, in dicto Regno DEO benedicente hominibûs, per arborum supputationem, & radicum extirpationem, ac avulsionem, ad culturam redacta, & novæ villæ, in illis, locatæ, & constructæ fuerunt. Cumq; à multis verteretur in dubium, ad quem Decimæ earundem villarum, vel locorum, & terrarũ, an videlicet ad locorum Ordinarios, an verò ad Parochialium Ecclesiarum, dictorum locorum Rectores, pertinere deberent: & inde lites, & controversiæ, inter bonæ memoriæ Joannem Episcopũ Cracoviẽsẽ, & quondam Arnoldum, certosq; Canonicos Ecclesiæ S. Floriani Suburbii Cracoviensis, super hujusmodi decimis novarum villarum, ac Novalium, in Biecensi, ac Zmigrodensi Territoriis consistentium, coram bonæ memoriæ Jaroslao Archi-Episcopo Gnesnensi, & claræ memoriæ Casimiro Rege Poloniæ, dum in humanis agerent, & ejusdem Regni Baronibus sub-

ortæ fuissent. Joannes tunc Episcopus Cracoviensis, ad lites hujusmodi sopiendas, quoddam instrumentum dubiorum, & litium hujusmodi decisorium, à bonæ memoriæ Janussio Archi-Episcopo Gnesnensi, à ducentis annis, ampliùs emanatarum, in medium produxit: continens, quòd cùm inter claræ memoriæ Vladislaum Poloniæ Regem, dum in humanis ageret, Clericorum & Ecclesiarum, quarum ipse Vladislaus Rex, & milites dicti Regni Patroni existebant, ex una, ac bonæ memoriæ, Joannem Episcopum Cracoviensem, Ecclesiæ suæ nominibus super decimis Novalium; quas videlicet Vladislaus Rex, & milites ad Ecclesias, quarum Patroni existebant, ùt præfertur, Joannes verò Episcopus præfatus, ad Mensam suam Episcopalem Cracoviensem, respectivè de jure spectare asserebant, & controversia fuisset suscitata. Ac tandem Joannes Archi-Episcopus, & Vladislaus Rex præfatus, litium anfractus, & discordias prædictas, per viam amicabilis concordiæ terminare decernentes, præfatus Joannes Archi-Episcopus, ex quibus quò ad ejusmodi dissensionum & litium decisionem, idem Vladislaus Rex, vices suas commiserat: & quondam Nobiles Viri,

Navogius Castellanus, Spicimirus Palatinus Cracoviensis, & Petrus Castellanus Sandka, Judex Sandomiriensis, & Petrus Decanus Ecclesiæ Posnan: Cancellarius Poloniæ & Sulco, aliàs Swonk Pincerna Sandomiriens: Decretorum Doctor, attendentes consvetudinem moribus utentium approbatam, ac juri communi satis consonam. dissensionem prædictam determinârunt. Quòd ubicunque sylvæ, vel mericæ, aut pars earum, ab agris progrediens antiquis, simul & successivè extirparentur: agrorum novalium hujusmodi decimam Rector Parochialis Ecclesiæ, vel Clericus ratione beneficii perciperet: ut priùs, ac eo modo, quò agrorum antiquorum decimam percipiebat. Ubi verò intra gades, & limites villæ antiquæ in sylva, vel merica, seu agro, aut prato, intra sylvam, aut mericam, villa locaretur de nova radice, sive noncuparetur: ut villa prior & vicina: sive non, novalium hujusmodi decimæ, ad Episcopi Diœcesani mensam, pertinerent. Si verò villa antiqua, more Polonico locata, de uno inculto loco, ad alium cultum, & arabilem locum, transferretur, & ejus incolæ antiquos agros colentes, aliquid progressivè extirparents is decimam perciperet, ad quem antea

anti-

antiquorum agrorum decimæ perceptio spectâsset. Quo quidē instrumento, Regi & Baronibus lecto, & vulgari sermone Polonicè exposito, quòd Casimirus Rex, & Barones, omnia & singula in illo contenta, rata & grata habentes, laudaverunt, & approbaverunt; ac dilectos filios, Casimirum Spicimiriensem, & Joannem Præpositum Gnesnensem, ac Ottonem Cancellarium Poloniæ ad videndas & distinguendas novas villas, ab antiquis, in Territoriis prædictis destinârant, prout in dicto instrumento dicitur plenius contineri. Quare pro parte Sigismundi Regis, & Joannis Archi-Episcopi, qui ad nos per eundem Regem Orator destinatus existit, votis humiliter supplicatum fuit, ut decreto & decisioni prædictis, aliasq; in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem & concordiam, inter Ecclesiasticas Personas præcipuè, perpetuò vigere, summis desideriis exoptamus, dicti instrumenti tenorem præsentis pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, decretum, decisionem, & concordiam hujusmodi, Apostolica Authoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, supplemusq; omnes &

sin-

singulos, tam juris quàm facti defectus, si qui verè intervenerint in iisdem. Et nihilominus, quòd ubicunq; in Regno Poloniæ, & locis illi vicinis, ac tota Provincia Gnesnensi sylvæ vel mericæ, aut earum pars ab antiquis agris progrediens, simul & successivè in futurum extirpabuntur, agros antiquos contingentes agrorum novalium hujusmodi decimas, Rector Parochialis Ecclesiæ hujusmodi, vel Clericus aut Canonicus, vel alius quicunquè ratione beneficii, per eum obtenti, in villa, vel territorio novalia hujusmodi evenerint, percipiat, ut priùs, & sicut agrorum antiquorum decimam percipiebat: ubi verò intra gades & limites antiquæ villæ in sylva, aut merica, sive in agro aut prato, intra sylvam, & mericam, villa locabitur, sive construetur de novo, aut nuncupabitur villæ antiquæ nomine, sive non, dictarum villarum decimæ, novalium hujusmodi, ad Archi-Episcopi, Episcopiq; Diœcesani, in cujus Diœcesi, nova villa ipsa existit, mensam spectent & pertineant. Si autem villa antiqua, modo Polonico locata, de inculto loco, ad alium cultum locum & arabilem transferatur, & ejus incolæ antiquos agros colentes, aliquid progressivè extirpent, is decimam

cimam percipiat, ad quem antiquorum agrorum, Decimæ perceptio spectabat, authoritate, & tenore præmissis, statuimus & decernimus: sicque per quoscunque judices, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & interpretari debere; sublata eis, & eorum cuilibet, aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac irritum & inane, quidquid secus super his, à quoquam, quavis Authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; cæterisque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis, statuti, constitutionis, & decreti, infringere; vel ei, ausu temerario, contraire; si quis autem hoc attentari, præsumpserit, indignationem DEI Omnipotentis; ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Annô Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo decimo quinto. tertio Calendas Aprilis Pontificatus Nostri Annô tertio.

QUÆ-

QUÆSITUM QUARTUM.

Utrum libertas à solutione decimarum, consuetudine, vel præscriptione, consequi possit?

DIco *primò:* Consvetudo etiam immemorabilis, non potest in totum eximere aliquem laicum à solutione decimæ prædialis. *Ita Moneta, ubi suprà, cap. 5. num. 90. Fagnianus parte 1. lib. 3. Decretalium fol. 401. numero 13. Piasecki noster in praxi sua Episcopali, parte 2. cap. 4. art. 9. de Decimis, num. 4.* ubi subjungit: Asserentes contrarium in concionibus, vel dicentes aliquid, quô populus abstrahatur à solvendis decimis. incurrunt ipsô facto excommunicationem. *Pro quo allegat Clementinam ultimam, tit. de pœnis, Lipski noster in decade quæstionum publicarum, quæst. 1. num. 21.*

Ampliaturq; conclusio: Licèt Ecclesia fuerit dives ex aliis proventibus. *Ita Covarruvias lib. 1. variarum resolutionum, cap. 17. num. 4. Piasecki noster ubi suprà.* Ratioq; redditur: quia debitor non relevatur à solvendo ex eo, quòd ipsius creditor sit dives, & opulentus.

Dico *secundò:* Consuetudine induci potest, quota decimæ, necnon ut locô decimæ manipularis, pecu-

pecuniaria solvatur. *Ita Moneta dic. cap. 5. à numero 87. Fagnianus prima parte lib. 3. Decretal. ad cap. in aliquibus tit. de Decimis, num. 12. fol. 401. ubi addit.* Etiamsi ista consuetudo non esset per Sedem Apostolicam approbata, *quidquid in contrarium adnotaverit Glossa ultima, in cap. In aliquibus, de Decimis. Et Piasecki noster, ubi suprà, num. 29. Doctoresq; ab eo citati, id per textum in cap. In aliquibus, tit. de Decimis.* Idem habetur & in *Constitutionibus nostris Provincialibus, lib. 3. tit. de Decimis, fol. 191. ubi sic dicitur:* Quoniam in quibusdam locis decimæ manipulares, in aliis pecuniariæ, in plerisq; verò pendũtur in grano, consuetudinem antiquam loci cujusq; servandum esse, decernimus: neq ab ea penitus discedi debere.

Piasecki autem ubi suprà numero 32. addit hoc: Quòd in dubio primo attendendum est jus commune, deinde si sit attendenda consuetudo, debet primùm considerari consuetudo loci, in quo controvertitur, & si ista desit viciniorum locorum: & in defectu istius, consuetudo Metropolitanæ Ecclesiæ, vel Provinciæ attendenda; seu quæ magis

rationabilis, & minus nociva; pro quo allegat non tantùm juris Doctores, sed etiam decisiones Rotæ Romanæ, ùt videre licèt.

Dico *tertiò;* Nullus Laicorum etiam præscriptione immemorabili potest se defendere à solutione decimæ. *Ita Covarruvias lib: 1. variarum resolutionum, cap. 17. à num. 6. Fagnianus loco citato, ad cap. in aliquibus, num. 13. quem vide, Glossa ad cap. à nobis, sub verbo: Quilibet, tit. de decimis, allegaturq́ text. in cap. Causam, tit. de Præscriptionibus.*

Notandum pro Regno nostro. Quòd in solvenda tam decima manipulari, quàm missalium, ubi utrumq́; solvitur, consuetudini innitendo, *decrevit Synodus Provincialis lib. 3. tit. de Decimis, verbis quoniam, in quibusdam locis, fol. 191.* ut mensura solvendorum missalium fiat juxta modū Territorii in quo villa missalia soluens situatur.

Simile quid habetur, *in Constitutionibus Regni, Constit. Anni 1635. folio 10. tit.* Kompozycya o Dźieśięćiny, *ubi sic habetur.* Ubi Máldrátá solvuntur, ibi decima exigi non debet, &[è] contra nisi aliud in erectione vel inscriptione pateat, &

ubi

ubi Missalia loco decimæ persolvuntur, hæc consuetudo servanda est.

Dico *Quartò*, Consuetudo, non solùm respectu quotæ, sed etiam respectu Decimæ solvendæ, quantum ad Clericos & Religiosos attendenda est. *Ita Fagnianus ad dictum cap. in aliquibus numero 11. & ad cap. Nuper. tit. de Decimis à num. 36.* dummodo sit legitimè præscripta, hoc est, dummodo sit immemorabilis, vel quadragenaria, cum titulo, *juxta text in cap. 1. de præscriptionibus in 6. lib. Decretalium.*

Dico *quintò*; Una Ecclesia in Parochia alterius Ecclesiæ, potest præscribere decimas; requiritur tamen vel tempus Quadraginta annorum, & cum titulo, vel præscriptio immemorabilis. *Ita Fagnianus in parte 1. libri 3. Decretalium; ad Caput. cum contingat: tit. de decimis. num. 2. & sequenti, per text. in cap. de quarta, in cap. veniens, in cap. ad aures de præscript. & in cap. 2. tit. de Decimis, lib. 6. Decretalium, & in cap. 1. de præscriptione lib. 6. Decretalium. Et ita tenuit Rota Romana decis. 14. tit. de judiciis in novis. Et coram Cardinali Seraphino decis. 802. & decis.*

 1404

1404. *& coram Cardinali Ubaldo, decis. 203. parte 5. Recentiorum. Idem scripsit & Piasecki noster, ubi suprà, num. 12.* Ratioq; redditur Quia hæc præscriptio non adversatur juri divino, nihil enim refert, an potiùs hæc, vel illa Ecclesia decimas habeat.

Notandum tamen. Quòd perceptio decimarum in aliena Parochia, non extenditur ad Novalia, si competat ex præscriptione, vel consuetudine; secus, si ex privilegio. *Ita Fagnanus, ad dic. cap. cum contingit. num. 5. ubi affert rationem differentiæ inter præscriptionem & privilegium.* Nam si aliqua Ecclesia acquisiverit perceptionem decimarum in aliena Parochia, ex præscriptione: hæc perceptio non extenditur ad novalia, quòd fit, ut si Ecclesia petat decimas, quas præscripsit in aliena Parochia, probare hoc debeat de singulis prædiis, alioquin, si de aliquo non probaverit, de prædio illo non adjudicabitur sibi decima: licèt secus sit, cum Parochus petit se manu teneri, in quasi possessione percipiendi decimas, ex aliquo prædio, infra limites Parochiæ suæ: tunc enim sufficit probatio generalis, quasi possessionis decimandi

mandi, quia attenditur magis causa possessionis, quàm exercitium. At vero privilegium de percipiendis decimis includit etiam novalia. *Ita Fagnianus, ubi adfert rationem differentiæ, ad quem curiosum lectorem remitto. Sic etiam Piasecki noster, loco citato, num. 14. scripsit, quòd præscriptio non extenditur* de loco ad locum, neq; de re ad rem, sed tantùm censetur præscriptum, quantum possessum.

Dico *sextò:* Clerici possunt præscriptione, vel consvetudine obtinere libertatem à solutione Decimarum, de eorum prædiis etiam Patrimonialibus. *Ita Covarruvias lib. 1. variarum resolutionum, cap. 17. num 9, & eum secutus Piasecki noster, ubi suprà, numero 17.*

Dico *septimò:* Etiam ex privilegio Ecclesia, contra Ecclesiam, sive Clericus, potest liberari à solutione decimarum. *cap. ex parte, cap. ad audientiam. Piasecki noster ubisuprà.*

Similiter & Regulares, variis Summorum Pontificum privilegiis liberati fuerunt, à solutione decimarum, de terris ab ipsis excultis, sed in casu occurrenti, necessariò inspiciendum est privilegium

gium illorum, & secundùm illud decretum ferendum est. *Ita Piasecki noster, ubi suprà, num. 19. sed plenius Fagnianus, ad dictum cap. Nuper.*

QUÆSITUM QUINTUM.

Cui & à quo, Decima solvenda est?

Quantùm ad primum punctum quæsiti.

DIco *primò*, Decima debetur Sacerdotibus seu Rectoribus Ecclesiarum Parochialium: qui jure communi, habent fundatam intentionem, super jure decimandi. *Ita Joannes Honorius in compendio juris Canonici lib. 3. tit. de Decimis. num. 20. Rota Romana apud Ludovisium, decis. 449. ubi sic definivit.* Rectori dandum esse mandatum de manutenendo, super exactione decimarum, in locis, de quibus agitur, Domini concorditer resolverunt. Quia ultra assistentiam juris communis, quam habet in existentibus intra limites suæ Parochiæ. *Ut dic. in cap. Cum contingat. ibiq; Glossa, cum in tua, de Decimis*, probavit per testes generalem quasi possessionem exigendi ab omnibus, quæ sufficit pro manutentione, *Idem scripsit & Piasecki noster, ubi suprà, n. 6. per jura allegata.*

Ubi

Ubi ampliùs subjungit: quòd hanc intentionem in jure fundatam, ipse solus Rector principalis habeat, non autem Vicarius ipsius etiamsi sit perpetuus. Unde & Capitulum habens unitam Parochialem, licèt ibi teneat Vicarium perpetuum, obtinebit tamen intentionem fundatam in jure super decimis illius Parochiæ; *allegatq; pro hoc decisiones Rotæ Romanæ apud Mobedanum, & Seraphinum. Idem scripsit & Honorius loco citato, numero 21.*

Ampliat insuper *Piasecki ibidem*: quòd neq; beneficiati Ecclesiæ possunt dici habere intentionem fundatam in jure super decimis, si ageret contra Parochum, licèt possit obtinere, si agerent contra aliquem alium. Rationemq; reddit, quia beneficiati debent assistere Rectori; & debent de manu ipsius Decimas percipere.

Dico *secundò*: Non potest Decima retineri ex eo, quia Parochus sit malæ vitæ. *Ita Moneta in tract: de Decimis, cap. 7. num: 32. idq; per textum in can: si Episcopus 16. quæst. 6. & in cap. Tua nobis. de Decimis, ibiq; Glossa, Abbas, & alii Doctores.*

Nec

Nec etiam decima detineri poteſt, ſi eam in malos uſus convertat Parochus. *Ita Moneta, ubi ſuprà, num. 33. Sylveſter, in ſumma ſua, ſub verbo: Decima: numero 14.* Ratioq; redditur. Quia Laici, Sacerdotes in tali caſu judicare non poſſunt, neq; debent, ſed ad Superiorem referre tenentur.

Sed hìc quæret aliquis. An à Laicis decimæ denegari debeant, ſaltem ex eo, quia, ab illis denegantur ſibi Sacramenta. *Moneta ubi ſuprà, numero 35. reſpondet,* quòd poſſunt Laici opponere, exceptionem ſpoliationis Divinorum in judicio, dummodo non propria authoritate retineant; ſed in judicio excipiendo, ſeu reconveniendo: & judicium in tali caſu ferre debet decretum, ut Laici ſolvant, & in Cancellaria de toto.

Id verum eſt quòd Parochus propria authroritate non poteſt denegare Sacramenta, ex eo, quia ſibi non ſolvantur decimæ. *Ita Moneta, ubi ſuprà, numero 37.*

Dico *tertiò*; Decimæ non poſſunt denegari Parocho, quia dives ſit, neq; indigeat. *Ita Moneta, ubi ſuprà num. 38. idq; per textum in can. Decimæ 16. quæſt. 1. Doctoresq; ab eo allegati, & nos ſuprà ex Piaſecki allegavimus.*

Ori-

Oritur adhuc aliud dubium. An Decimæ retineri possunt, ab his qui eas solvere tenētur, respectu impensarum factarum, in ædificanda Ecclesia Parochiali; sive in amplianda eadem. *Moneta dic. cap. 7, num. 41.* Probabiliùs esse dicit, non posse per populum retineri Rectori pro impensis sive factis in ædificanda Ecclesia Parochiali, sive faciendis in ea amplianda, ubi numero populi non sufficiat. Rationemq; reddit: quia talis compensatio non est admittenda, cùm impensæ factæ, vel faciendæ non sunt liquidæ, *juxta legem finalem. Cod. de compensationibus.* Atq; adeo earum debitum non venit compensandum, cum debito decimarum, quòd est plusquam liquidum, ita ille.

Ex occasione istius dubii, inquirendum est, quis teneatur ad expensas faciendas, tam pro vestibus, quàm pro fabrica Ecclesiæ? *Piasecki in praxi sua Episcopali parte 2. cap. 3. num. 22. han materiam tractat, & resolvit sic:* si adsit quarta, seu proventus separati pro fabrica, inde esse faciendas expensas necessarias pro Ecclesia. *allegatq; can: Unio 10 quæst. 3.* Si autem nihil horum habeatur, teneri Parochum ad ejusmodi expensas, *per text. Decer-*

nimus loco citato, quæst. 1. & per text. in cap. de his, tit. de Ecclesiis ædificandis. Et quod per Episcopum possit quota fructuum beneficiato designari, pro tali fabrica Ecclesiæ, rationemq; reddit: quia beneficiatus, æquiparatur usufructuario. *Ut scripsit* Glossa *in cap. finali, sub verbo reservari, de officio Ordinarii lib. 6. Decretalium.* Usufructuarius autem tenetur conservare in integro statu, bona sibi commissa; *ut habetur in L. Usufructu Legato, ff. de usufructu.*

Dicta tamen procedere, is idem *Piasecki loco citato dicit.* Si Parocho supersit aliquid, ultra necessariam vitæ sustentationem, parcè vivendo. Aliàs si Parochus esset adeo pauper, ut non habeat sufficiẽtẽ sustẽtationẽ, teneri Parochianos cõtribuere pro fabrica, & necessitatibus Ecclesiæ. *Juxta Decretum Concilii Tridentini cap. 4. sess. 22. de Reformat.* Sed ad conservandam domum suam Parochialem adhuc omnino teneri Parochum. *Scripsit Piasecki loco citato.*

Quantum ad secundum punctum Quæsiti: A quo videlicet decima solvenda sit?

Dico *primò*; Non tantùm Laici, sed etiam Cle-

 rici

rici de eorum prædiis sive Ecclesiasticis, intra alienam Parochiam fuerunt sita, sive de Patrimonialibus, decimam solvere tenentur, *Ita Piasecki in Praxi sua par. 2. cap. 4. num. 11. per text. in can. si quis Laicus, in Can. Quesli sunt, 16. quæst. 1.*

Ampliatq; quòd & Monachi de eorum fundis solvere teneantur, *per text. in cap. Commissum, tit. de Decimis.*

Quæ ampliatio maximè procedit, si bona, seu prædia aliqua, ad solvendum decimam, jam antea obligata, acquirantur per Regulares; nam cùm onere suo transeunt. Et Regulares nullo privilegio possunt se excusare ab obligatione, & debito solvendi talem decimam, *Piasecki ubi suprà num. 21. allegatq; declarationem Sacræ Congregationis Conc. Trident.* ad Episcopos diversos Poloniæ transmissam, & per Nuntium Apostolicum publicatam. Tenoris sequentis talis fuit publicatio. *Illustrissimi Domini. Quæstiones, quas inter Ecclesiasticos Sæculares & Regulares, persæpe excitat jus decimarum, in iis fundis, qui in istorum possessionem transire solent, Sacra Congregatio Interpretum Concilii Tridentini, lato pridem decreto,* diremit

diremit. Cujus decreti cùm ad me nuper miserit exemplar, ejus Illustrissimis Dominationibus Vestris copiam facio, quæ in referendo Ecclesiæ suæ statu, sententiam hac in ipsa re illorum Patrum rogaverat. Cum hoc &c. Varsaviæ quinta Martii. Annô Domini 1634.

Honoratus Vice-Comes
Archi-Episcopus Latissenus.

Tenor autem Declarationis Interpretum Sacri Concilii Tridentini, tenoris talis fuit.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit bona & prædia hujusmodi Decimarum solutione obnoxia, ad Regularium Monasteria transire, cum suo onere ac proinde Regulares teneri illas solvere Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, quemadmodum tenebantur Laici, priusquã bona ipsa in Monasterii proprietatẽ trãstulerint.

Subscriptio.

Hor: Cardinalis Lancellotus.
Prosperus Fagnianus
Sacræ Congregationis Concilii,
Secretarius. mpp.

Et

Et licèt declaratio Eminentissimorum Cardinalium Interpretum Concilii Trident: Annô & die quibus suprà emanavit, tamen Patres Societatis Jesu, R·gni Nostri *Annò Domini 1653.* circiter, dum Romæ morarer, cuidam Parocho decimarum solutionem detrectârunt. Causa ad Rotam deducta, & magnis motibus agitata. Tandem Parochus victor remansit, executoriales contra Patres Societatis Jesu extraditæ, ut solverent, *de quo, vide pleniùs Fagnianum in 1. parte lib. 3. Decretalium, ad cap. Nuper, tit. de Decimis per totum.*

Dico *secundò*, Etiam Illustrissimi Domini Archi-Episcopi, & Episcopi, tenentur ad solutionē decimarū ex prædiis suis etiam Ecclesiasticis, & tenentur factores, subditosve suos ad solutionem earum, cogere & compellere. *ita habetur in Constitut. Provincialibus Gnesnensibus, lib. 2. tit. de Decimis. §. Item Reverendissimi Domini Episcopi, §. sequen: Item conquerentibus non nullis Parochis, fol. 193.*

Dico *tertiò;* Ad solutionem decimarum tenentur ipsi possessores prædiorum, ex quibus decima debetur. *Ita communiter Canonistæ.* Ratioq; redditur, quia solutio decimæ est onus reale, & cum onere transit ad possessorem.

Hinc ad

Hinc etiam de jure Regni nostri, etiam in judicio sæculari, non conceditur, in tali casu, dilatio ad evictorem, ùt suprà innuimus.

Infertur itaq; primò; Si aliquis prædium suum, seu fundum alteri locet, non locator, sed conductor, seu Arendatarius, decimam persolvere tenetur. *Ita habetur in statuto Herburti sub verbo Decimæ.*

Infertur secundò; Si nobilis, ex agro discedente colono, eundem agrum colat, tenetur ad persolutionem decimarum, & aliorum proventuum Ecclesiasticorum, ex illo agro pendi solitorum ex consuetudine. Quodsi, in illo Territorio non extet aliqua ejus rei consuetudo; solvat eadem onera, quæ colonus solvebat: illis tamen exceptis; quæ ex rusticitate, in Nobilitatem indignè transferuntur: veluti, ut decimam ducat ad horreum Curati: denarium verò S. Petri, Canapales, strenam, (quæ vulgò kolenda appellatur) soluat: nisi in istis, aliter se habeat consuetudo. *Ita in Constit: nostris Provinc: Gnesnen: ubi suprà, fol. 199. §. Colono ex agro discedente.*

Infertur tertiò; Si aliquis locavit agrum suum

cum pacto, ut locans illum agrum, recipiat aliquam partem frumentorum ex illo agro, v.g. tertiam, vel quartam partem manipulorum (ut apud nos passim fit) in tali casu, uterq; tenetur pro parte sua solvere. *Et sic procedit text. in cap. Tua nobis; ibiq; Glossa in versiculo, sic & Dominus, & ibidem Canonistæ titulo de Decimis*

Si autem Dominus agri, conducit Colonum nummis, vel ei promittit certas mensuras pro operis, sive nascantur fructus, sive non: in tali casu ipse Dominus conductor est; & dicitur: prædium suis sumptibus seu manibus, quamvis per alium colere. *Juxta notata in cap. ex parte, & duobus sequ. t.t. de Decimis;* & tunc Dominus tenetur priùs integram decimam solvere Ecclesiæ: quia omnes fructus ad eundem pertinent. *Ita Moneta, in tract. suo, de Decimis, cap. 6. num. 40.*

Aut Dominus locavit prædium pro certis mensuris, vel certâ pecuniâ, ita; ut fructus spectent ad Colonum, & Conductorem, & tunc concludunt Canonistæ: Quòd Dominus ex hâc pensione aliquid non teneatur solvere. Rationemq; reddunt, quia onus decimæ, est onus fructuum. *Ut habetur*

in cap. Pastoralis, tit. de Decimis. Unde transferendo omnes fructus in conductorem, omnes fructus, videtur transtulisse cum onere suo: *de quibus, videatur plenius Moneta in tractatu suo de Decimis cap, 6. à numero 40.*

Sed hic quærunt Doctores; si aliquis, locans prædium, vel fundum suum, ex quibus debetur decima: hâc tamen adjectâ clausulâ; ut Conductorem, seu Arendatariũ evincat in omnibus impedimentis legalibus? Et respondeo: non teneri ad evictionem, respectu solutionis decimæ, ob rationem; quia in tali, videtur promittere evictionem, in aliis impedimentis legalibus, quæ sunt annexa de jure fundo seu prædio.

Sed si se obliget ad evictionem decimarum alicui Ecclesiæ debitarum: in tali casu, licèt teneatur ad evictionem, nihilominus judicium potest condemnare Possessorem eorundem bonorum, ad solutionem decimæ, salvâ reservatâ actione contra evictorem. Ratioq; est: quia res inter duos acta, tertio non præjudicat: & onus solutionis pertineat ad possessorem bonorum, & perceptorem fructuum.

Dico

Dico *quartò*; Decimæ ſolvi debent non deductis expenſis. *Ut habetur in cap. Cùm homines, tit. de Decimis*; *Idem & in Conſtit. noſtris Provinc: Gneſnen.* §. *Cûm decima jure Divino, tit. de Decimis, ubi ſic habetur:* Cùm decima de jure Divino debeat dari expenſis non deductis, jure optimo mercenarii meſſoris decimam, antequam Eccleſia pro ſe decimet, ſolvi & conſignari non debere. Et propterea ne id fiat, ac cum Nobilibus caſſulas deteriores pro decima eligentibus, aut injuſtè decimantibus, juſtâ ratione jure eſſe experiendum.

QUÆSITUM SEXTUM.

An ſuper decima, concordia, vel compoſitio fieri poteſt?

DIco *primò*: Eccleſiæ & Clerici poſſunt inter ſe componere, ſuper decimis, *text. in cap. ſtatuimus de tranſactionibus, & in cap. Suggeſtum, cap. Nuper de Decimis.*

Compoſitio tamen facta non perpetuatur ultra vitam componentium, niſi fuerit approbata per Epiſcopum. *Ut notavit Gloſſa ad cap. ex multiplici ſuper verbo eandem conventionem, tit. citato:*

de Decimis. Piasecki noster ubi suprà, num. 22. Fagnianus parte 1. lib. 3. Decretalium, ad cap. Nuper. de Decimis. numero 24. Et non requiritur Beneplacitum Apostolicum. *Ita Fagnianus ibidem, & tenuit Rota Romana decis. 218. par. 7. recentiorũ.*

Dico *secundò;* Etiam Laici possunt componere cum Ecclesiis super decimis, vel earum præstationem aliqua justa cõpẽsatione, redimere, ùt prædio, fundo, seu aliis rebus fructificantibus. *Ut notavit Glossa, in cap. super. sub verbo: possessiones, tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

Sed ut ejusmodi compositiones Laicorum Nobilium, cum Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, in Regno nostro majorem firmitatem haberent, Urbanus VIII. Summus Pontifex, ad instantiam Vladislai IV. Regis Poloniarum edidit rescriptum, *quòd habetur in Constitut. Provincialibus Gnesnen: & Piasecki Noster in praxi sua Episcopali, loco citato, n. 33. cõnotavit; tenoris sequẽtis.*

BREVE
DE DECIMIS.
URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Cùm

CUm, ſicut dilectus filius, Nobilis Vir, Georgius Oſſoliñſki, Comes de Tęczyn, Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Vladislai Poloniæ & Sveciæ Regis, Illuſtris, ad Nos, & Apoſtolicam Sedem Orator, Nobis nuper exponi fecit, quòd diverſæ controverſiæ, lites, & differentiæ, inter Eccleſiaſticos, & Nobiles Regni Poloniæ, occaſione ſolutionis decimarum, ſæpe oriantur. Nos litibus, differentiis, & controverſiis hujusmodi, quantum cum Domino poſſumus obviam ire, pacisquè & quieti Eccleſiaſticorum, & Nobilium præfatorum, conſulere volentes, ſupplicationibus dicti Georgii Comitis, & Oratoris, nomine ejusdem Vladislai Regis, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: Venerabilibus Fratribus, Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, dicti Regni Poloniæ, tenore præſentium committimus, & mandamus, ut compoſitiones per Eccleſiarum Rectores, & Laicos faciendas, ſuper quantitatem decimarum confirment, vel illas approbent de conſenſu Rectorum: & ubi non adeſt illorum conſenſus, etiamſi agatur de novalibus, Ordinarius aſſumptis duobus de ſuo Capitulo, unà cum illis, cauſam, & cauſas, ſuper compoſitione facienda, cognoſcat, ac terminet appella-

tione remota, ubi decimæ, quolibet annô, non excedunt florenos quinquaginta, in valore earum, & quatenùs excederent dictum valorem, tunc semel appellare liceat, & appellatio per Metropolitanum, assumptis pariter duobus de suo Capitulo, cognoscatur, & terminetur. Quatenùs vero Metropolitanus esset Ordinarius, tunc appellatio cognoscatur & terminetur, per Nuntium Apostolicum, in eodem Regno commorantem; & quatenus primæ instantiæ, ab eodem Nuntio cognoscerentur, tunc à sententiis dicti Nuntii appellationes, nullitates, ac in integrum restitutiones committantur per eundem Nuntium, alteri Episcopo ejusdem Regni, qui pariter assumptis duobus de suo Capitulo, insimul cognoscant & terminent. Quodsi contentio erit inter aliquem Episcopum & Nobilem, seu Nobiles: tunc causa cognoscatur per Metropolitanum, assumptis pariter duobus de suo Capitulo. Si verò erit inter Metropolitanum, ac Nobilem, seu Nobiles: tunc causa spectet ad Nuntium, pro compositione, de partium consensu facienda. Aliàs via juris terminanda, ùt supra. Decernentes præsentes literas, validas, firmas & efficaces existere, & fore, suosq; plenarios

&

& integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, irritum? & inane; quidquid secus super his à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac quarumcunq; Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, Constitutionibus, privilegiis quoq; Indultis, ac literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis, aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter & expressè derogamus, cæteris contrariis quibuscunq;. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 22. Novembris. MDCXXXIV. Pontificatûs nostri, Annô duodecimô.

Tali Brevi & rescripto Apostolico impetrato, in Comitiis Generalibus Varsaviensibus, *Annô Domini 1635.* celebratis, conscripta est Constitutio, tenoris sequentis, *ùt habetur in Constitut. ejusdem*

Anni

Anni fol. 20. ſub tit. Kompozycya o Dziesięciny.

Pacificando differentias, quæ inter ſtatū Equeſtrem, & Eccleſiaſticum, reſpectu decimarum ex bonis Nobilium (cùm ex bonis noſtris Regalibus, juxta antiquā conſuetudinem, ſine ulla cōtradictione Tenutariorum noſtrorum, libera remanet decima manipularis aliàs *Wytyczna*) ad hoc uſq; tempus non ſunt finitæ. Et cùm Generalis per omnes Diœceſes compoſitio; propter inæqualitatem fundorū & agrorū, non poteſt fieri. Statuimus, ex expreſſo cōſenſu Sedis Apoſtolicæ, ut quiſq; Epiſcop9 in ſua Diœceſi (in qua decimæ fiunt) compoſitiones, de conſenſu Rectorum factas, & faciendas, antiquos contractus, & quetationes approbent æviternis temporibus. Quodſi Spiritualis nolit concordare tenebitur Loci Ordinarius, ad inſtantiam cujusq; Nobilis, aſſumptis ad ſe duobus ex capitulo Canonicis, ſeu Prælatis Nobili genere natis ejusmodi differentiam componere, in decimam pecuniariam: & non obſtante refragatione Spiritualis, decidere, habendo ſpecialem reſpectum bonorum deterioratorū, aliàs *ſpuſtoſzonych*, & onerum

pau-

pauperum hominum. Et ibi, ubi *Maldrata* non ſolvantur: niſi in contrarium claræ diſpoſitiones fundationum, & inſcriptionum producantur. Unde cum in nonnullis terris, aliàs *Kráiách*, Miſſalia tam ex bonis noſtris Regalibus, quàm Nobilium locò decimæ ſine ulla differentia cum Spirituali, dantur: penes hanc conſuetudinem dicta bona conſervamus. Reſpectu autem decimæ pecuniarum per hanc compoſitionem approbatæ, & deciſæ conſtituimus Forum, in Judiciis Caſtrenſibus, *na Kwerele*, ſine appellatione. Hi aut. m qui penes decimam manipularem, aliàs *wytyczney*, remanere volunt, Forum in Judicio Terreſtri, & poſtea in Judiciis Tribunalis Regni; habeant. Qvodſi Spiritualis, in termino per compoſitionem aſſignato, nolit à Nobili accipere, in tali caſu, pecuniam Nobilis in Caſtro deponat, & non poterit ampliùs à Spirituali moleſtari, & inquietari, monſtrata illi quietatione Caſtrenſi. Ejuſmodi compoſitiones, liberum erit unicuiquè ad Acta Caſtrenſia cujuscunq; Diſtrictus porrigere, ne in futurum differentiæ, & controverſiæ oriantur. Quodſi aliquis Nobilis benevolè & ultro velit, ex

ex ipſius fundis decimam manipularem aliàs *wytyczna* extradere, liberum id erit ſervare, & Succeſſores ſuos obligare, ſi autem decima manipularis alias *wytyczna*, in aliquo loco remaneret, ibi Spiritualis decimam manipularem percipiens juxta antiquam conſvetudinem: ratione decimæ perceptæ, ad contributiones laudatas, tenebitur concurrere & ſolvere.

Quæ Conſtitutio Regni, in multis diſcrepat, à Brevi Apoſtolico, ut quilibet videre poteſt: Et illa appendit, ut decimam manipularem Spiritualis percipiens ad contributiones laudatas, unà cum ſæcularibus, concurrat, & ſolvat, Conſtitutionibus, Apoſtolicis, & noſtris Provincialibus Gneſnenſibus maximè repugnat. Nam diſpoſitum eſt, ùt ſuprà ſcripſimus. Et perſonæ Sæculares, contra immunitates Spirituales non poſſunt quidquam ſtatuere, abſq; ſcitu, & expreſſo conſenſu, Sedis Apoſtolicæ. Et quòd ex bonis Regalibus, decima manipularis àliàs *wytyczna* ſolvi debeat, præter dictam Conſtitutionem *Anni 1635.* extat decretum Sigiſmundi III. Regis Poloniæ, *ùt refert Lipſki in decade Quæſtionum publicarum, quæſt. 1. numero 15, Tenoris ſequentis.* *Sigis-*

Sigismundus III. DEI Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ &c. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest Universis, & singulis, citatos fuisse ad Nos, Judiciumq; nostrum literis citationis secundæ, Famatos Proconsulem, Consules Vice Advocatum, & Scabinos, totamq; Communitatem Oppidi nostri, ac incolas Suburbii nostri Zatorien, laneorum, atq; agrorum Civilium Possessores de officiis ac bonis eorum omnibus, ad instantiam Venerabilis Andreæ Lïpski Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis Custodis, necnon Cathedralis Cracoviensis Ecclesiæ Scholastici, Secretarii nostri. Ideo quod ipsi in derogationem jurium, ac immunitatum Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, necnon proventuum ex primæva fundatione Divorum Prædecessorum Nostrorum, pro Prælatura Scholasteriæ Cracoviensis spectantium, diminutionem, decimam manipularem grani omnis & seminis ex agris Civilibus, pro Scholasteria Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis; ejusq; Prælatis antiquitus provenientem, pro annis tribus inclusivè, ab Annô Millesimo sexcentesimo undecimo, & Annô millesimo sexcentesimo duodecimo & pro Annô sexcentesimo decimo tertio, proximè, præteri-

to, retinuerant, & non extradiderunt, imò eandem tenere ac violenter usurpârunt, atq; receperunt, nec eam ad requisitionem Actoris, & Antecessorum illius extradere voluerunt, prout Citatio præfata, taxam mille marcarum Polonicalium, totidemq; damni continens, latiùs de præmissis testatur. In termino, itaq; hodierno Judicii relationum nostrarum proprietatum, ex appellatione à sententia Assessorum Judicii nostri, per Actorem ad Nos interposita, indicente, & hucusq; continuato, præfatis partibus. Actoreâ personaliter, Citata verò, per Honoratum Thomam Lipczyński, Plenipotentem suum, coram Nobis comparentibus, eundemq; terminum attẽtantibus. Et Actorea, ex sua citatione contra citatam proponente, & manipularem decimam à citatis exigente. Citata pars, extractu certo ex libris Beneficiorum descripto, quo proventus tantùm in specie Ecclesiæ Parochialis Zatoriensis, non autem Scholasteriæ Cracoviensis (cujus ibidem obiter tantùm mentio facta est) continentur, non manipularem, sed pecuniariam decimam, se præstare debere Antecessoresq; Actoris Scholasticos Cracovienses, in usu & possessione manipularis decimæ non fuisse: neq; eam à Civibus exegisse contende-

tendebat, ac in eam rem, quietationes plurimorum annorum producebat, quòd non penderentur, & ad juramentum, quòd manipularem decimam non pendebant, provocabat. Ex adverso Actores ex primæva Regum atq; Principum Poloniæ, decimarum fundatione probante. & deducente, quôd nimirùm decimæ omnis Generis frugum, ab ipso Christianæ Religionis in hoc Regno exordio, tam de Regalibus, quàm de Nobilium, plebeisq; agris Ecclesiastico Ordini adscriptæ, atq; applicatæ sunt, ac proinde naturam decimarum à primæva origine & institutione eam esse, ut in manipulis, non verò in pecuniis repræsententur. Ex libro quoq; Beneficiorum; in quo specificè omnes proventus ejusdem Scholasteriæ recensentur patere, olim ex Oppido Zathor, manipularem decimam præstari solitam fuisse: sed postea per abusum, & negligentiam Scholasticorum Cracoviensium, in pecuniariam conversam fuisse: hunc tamen abusum, & negligentiā Antecessorū, Ecclesiæ, & sibi præjudicare nō posse, & præscriptionē longissimi tēporis in rebus Ecclesiæ, maximè verò in rebus decimarum, quæ à sæcularibus (cum sint juris Divini) possideri minimè possunt, locum non habere replicabat, & citatos pro annis præteri-

tertiis, ac in futurum ad extradictionem decimæ manipularis cõpelli expetebat. Nos cum Consiliariis Nostris, lateri nostro assidentibus, audita, & bene considerata, partium controversia, eoq; considerato, quod Actor ex libro beneficiorum Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis: (cujus sẽper certa & indubitata apud nos, & Divos Antecessores Nostros habita, fuit fides & Authoritas) rescriptum coram Nobis produxit; ex quo manifestè apparet, Scholasteriæ quidem Cracovien: à primæva fundatione, decimam manipularem in oppido Zator, *attributam: & in proventus illius relatam fuisse, verùm postea negligentia, & abusu possessorum, iniquitateq; temporum, in pecuniariam transmutatam esse. Quoniam verò in bonis reditibus, & Juribus Ecclesiasticis, tum vel maximè, in decimis quas DEUS sibi in signum universalis Dominii, pro alimento servientium reddi censuit, neq; abusus Antecessorum, neq; præscriptio longissimi temporis obesse potest: ideo inhærendo vestigiis Divorum Antecessorum nostrorum Regum Poloniæ qui ab initio introductæ DEI beneficiò in Regnum & receptæ fidei ac Religionis Catholicæ, ex bonis suis Regalibus decimas manipulares Ecclesiis à se*

noviter

noviter extructis & erectis dicârunt, adscripserunt, decrevimus, prout decernimus, citatos, Actori non pecuniariam, sed manipularem decimam præstare teneri. Volumusq; ut citati pro annis quidem præteritis decimo tertio, ac currenti decimo quarto, valorem decimæ manipularis Scholastico Cracoviensi præstari debitæ, coram Actis Castrensibus, Capitanealibus Cracoviensibus, in octo septimanis, à data præsentium computando, juramento duorum è medio sui (quando quidem Actor illud illis refert) liquident; ibidemq; statim post præstitum Juramentum solvant, & numerent, sub pœna taxæ in citatione expressæ, videlicet mille marcarum Polonicalium, & in posterum liberam decimam manipularem ex omnibus agris tam Oppidanorum, quàm Suburbanorum, omnium frugum, tam hyemalium, quàm æstivalium, Actori permittant, neq; ullo modo impediant, qninimo ad horreum ab Actore, in fundo ejusdem Oppidi assignatum propriis curribus, prout moris est in regno, easdem decimas convehant, sub eadem pœna taxæ in citatione appositæ. Habent itaq; & habituræ sunt partes terminum citata præstandi, & Decreto nostro præsenti satisfaciendi. Acto-

rea

rea verò illud attentandi coram præfato Officio Castrensi Capitaneali Cracoviensi, in octo, uti præmissum est septimanis, à data præsentium computando. In defectu verò satisfactionis & solutionis decimæ præfatæ, coram judicio comparendi, & attentandi ulteriorem processum: & ad decernendum, quòd de jure venerit, in duodecem septimanis, à data ibidem præsentium computando. Quem utrumq; terminum, Nos, partibus peremptoriê præfigimus, assignamus, & conservamus, præsentis decreti Nostri vigore. In cujus rei fidem, Sigillum Regni Nostri præsentibus, est appressum, Datum Varsaviæ, Feriâ sextâ post Festum S. Luciæ Virginis, proximâ Annò Domini 1614. Regnorum Nostrorum, Poloniæ 27. Sveeici verô Annô 21.

Ex quo Decreto hæc notabilia colliguntur.

Primò, Quòd in præscribenda decima non habet locum præscriptio longissimi temporis, ex quo decima jure divino debeatur. Quòd idem habetur in Cõstit: nostris Provincialibus Gnesnen: *lib. 3. sub tit. de Decimis. §. Villæ seu Prædia.*

Secundò: Quòd abusus & negligentia Antecessorum, non potest nocere successori juxta tritam

juris

juris Regulam, res inter duos acta, tertio non præjudicat.

Tertiò; Quòd decimarum solutio & præstatio libris beneficiorum probari possunt, de quo etiam extat Constitutio Regni nostri, *Anni 1635. folio 12. sub tit. de libris beneficiorum.*

Quartò; Quòd personæ Plebeiæ, ut Oppidani, & villani tenentur convehere decimam ad horreum decimatoris.

Placuit hic adjungere Privilegium Ducis, Masoviæ in favorem Episcopatus Posnaniensis, de libera locatione, & perceptione decimarum, *prout habetur in Constitutionibus nostris Provincialibus Gnesnen: sub tit. de Decimis, ad finem tenoris sequentis.*

In Nomine Domini Amen. Nos Vladislaus: Dei gratiâ Dux Masoviæ, Russiæq; Princeps, necnon Terrarum Plocensis, Ravensis, Sochaczoviensis, Gostinensis, Visnensis, & Bełzensis Dominus & Hæres.

Ad præsentium notitiam & futurorum memoriam, perpetuò deducimus per hæc scripta. Quomodo peculiaris beneficentiæ affectus & amor attrahit Nos præcipuus, ut Ecclesiæ Posnaniensis, quàm Progeni-

genitores nostri ex integerrimo humanitatis suæ zelo, largis munificentiæ suæ libertatibus refecerunt, atq; donis, ac favore & benevolentia, reddamur alacres, ac continui, ac ut ipsi Ecclesiæ & personis Spiritualibus sibi subjectis, pacem opera & studio Nostris teneremus; & quietem sollicitudo curæ nostræ Ducalis compellat nos assidua. Unde nonnullas differentias; anfractus, & dissensiones, inter nos, Ducem Vladislaum, Nobilesq; terrigenas, & subditos nostros sæculares, Terrarumq; Nostrarum Masoviæ Diœcesis Posnaniensis ab una: & Reverendum in Christo Patrem Dominum Andream Episcopum, atq; Ecclesiam suam Posnaniensem prædictam, ab alia partibus, super decimis manipularibus & lini, & aliis causis, & injuriis, hinc inde suscitatis & exortis, per viam amicabilis concordiæ consopire: præfatoq; Domino Andreæ Episcopo, Ecclesiæ atq; Clero suis, justum favere, sicut dignum est, & quietem in dictis decimis procurare volentes, consuetudini aliàs per divæ memoriæ Prædecessores Nostros, & subditos Terrarum Nostrarum Masoviæ, Diœcesis Posnaniensis prædictæ, ac Dominos Episcopos Posnanienses, Clerum ipsis subjectum, in decimis

bujus-

hujusmodi, & earum decimatione seu solutione, à longè retroactis temporibus usq; hactenus tentæ & observatæ imiten: ad talem cum Domino Andrea Episcopo, & Ecclesia sua, & Clero sibi subjecto cum Nobilibus terrigenis, & subditis nostris sæcularibus Diœcesis Posnaniensis, ex certa nostra scientia, &, fideli Baronum & Nobilium nostrorum Consilio, atq; de unanimi Terrarum nostrarum Nobilium Terrigenarum, & subditorum nostrorum prædictorum voluntate & assensu, amicabilem concordiam & unionem devenimus, perpetuò duraturam, prout in articulis suprà dictis regulatum existit, & expressum.

Imprimis itaq; statuimus, laudamus, & propter bonum pacis futuræ, tenore præsentium decernimus: quòd extunc, & perpetuò, omnes & singuli Cives Oppidani Cmethones agros colentes, nostri Ducatûs, necnon omnium & singulorum Nobilium, Terrigenarum, & Terrarum nostrarum quarumcunq;, & quarumlibet, cujuscunq; gradus & conditionis existant, more & consuetudine Terrarum nostrarum Masoviæ, hactenus inter Nos, Episcopos Posnanienses, & Clerum ipsis subjectum, Nobilesq; Terrigenas

nas, & subditos nostros sæculares, in decimis hujusmodi, & ipsarum solutione, seu decimatione tentis & servatis, decimas Manipulares, cujuscunquè & cujuslibet grani & seminis, videlicet siliginis, tritici, avenæ, hordei, pisæ scruti lenticulæ, ac etiam decimam lini, duntaxat per unum grossum, præfato Domino Andreæ Episcopo, & Ecclesiæ suæ Posnaniensi seu Prelatis & Canonicis, Presbyteris, Altaristis, ac aliis Personis Spiritualibus, quibus ipsæ debentur, dare & solvere tenebuntur, & debebunt, absq; ullo impedimento, & interpretatione ampliori, & præterea Cmethones ad ducturam ejusmodi decimarum erunt & debebũt esse, eidem Domino Episcopo, & Ecclesiæ suæ Posnaniensi, ac aliis Personis Spiritualibus, perpetuò abligati: Et nos Dux Vladislaus Prænominatus ac Nobiles Terrigenæ & subditi nostri, non debebimus præfatum Andream Episcopum, seu factores suos, ac alias Personas spirituales quascunq; & quaslibet, in locatione earundem decimarum, quoquo modo impedire sed licebit ipsis easdem apud Cmethones, quos ad id sibi noverint utiliores, locare quietè & securè; omni nostro seu Officialium terrigenarum & subditorum nostrorum, im-

pedi-

pedimento, procul moto. Nobiles verò de agris prædialibus, ac aliis quos suis duntaxat propriis colunt aratris, ipsorum Plebanis, quorum curæ jure subsunt Parochiali decimas manipulares, in grano quolibet, ut præmissum est, & semine, prout moris est, atquè juris, annis singulis dabunt effectivè: non tamen ad ductum earum tenebuntur Cmethones. Poterunt tamen Plebani easdem decimas, liberè, si voluerint, ad horrea sua conducere, ac de ipsis, prout ipsis expedidierit disponere. Item quoties factores præfati Domini Andreæ Episcopi, seu Successorum suorum Episcoporum Posnaniensium, aut etiam Prælatos Canonicos, Presbyteros, Altaristas, & alias Personas Spirituales, decimas suas, in Terris Nostris Masoviæ, prædictæ Diœcesis Posnaniensis decimare contigerit: Volumus & decernimus, quod circa hujusmodi decimationem ipsis non inferantur dispendia, ne ab eo, quòd ipsorum est, excludantur. talem observari morem & consvetudinem, quòd postquam fruenta omnia cujuslibet grani, more solito, in campis, in toto fuerint messa, & ritè collecta, extunc factores seu decimarum collectores, præfati Domini Andreæ Episcopi, & Successorum, & Prælatorum, Canonicorum,

& Præsbyterorum, Altariſtarum, aut aliarum Perſonarum Spiritualium, in primo agro Civitatis, Oppidi, & Villæ, computatis novem capeciis, decimum capere de quolibet grano, & ſemine, pro decima tollent: & ſic facient immediatè de eodem ab alio quolibet ejusdem villæ, Civitatis, ſeu Oppidi agro, progreſſivè, deniq; Colom, Meſſores ſive conventi ad metendum laboratores, expeditis & ſolutis decimis, de communi collectura, id quod ipſos concernet, pro laboribus eorum recipient & colligent.

Item, omnes ſculteti, ſive Advocati, Plebei & Nobiles, tam in villis noſtris Ducalibus, quàm Nobilium Noſtrorum Diœceſis Poſnanienſis prædictæ, & in jure Theutonico Chelmenſi reſidentes, ſeu locati, prout & cæteri Cmethones agros colentes præfato Domino Andreæ Epiſcopo, & Succeſſoribus ſuis Epiſcopis Poſnanienſibus, ſeu illis Perſonis Spiritualibus, ad quas illæ decimæ de jure dignoſcuntur pertinere, de agris Advocatorū, ſive Scultetiarum ſuarum, decimæ ſint obnoxii, & obligati: exceptis Nobilibus, quibus nos pro eorum ſervitiis, aliquos agros in villis, ſine bonis noſtris, jure hæreditario Nobilitati duximus dandos, & qui coram nobis, & cum

jure

jure Theutonico prædicto, citati respondebunt: Qui Nobiles, decimam more aliorum Nobilium Terrarum nostrarum Masoviæ prædictarũ, dare non sint adstricti:

Volumus præterea, decernimus, & laudamus, quòd licèt præfato Domino Andreæ Episcopo, & Successoribus suis, aliis personis Spiritualibus, decimas ipsorum liberè, cessante impedimento, cum straminibus, tam in campis, quàm horreis vendere: & emptor decimæ hujusmodi, quàm, & quas emerit, sive ipsam, aut ipsas trituraverit, aut non, nihilominus ipsam aut ipsas decimas, pro se, cum straminibus recipere, & quo voluerit liberè adducere: eo salvo, quod si fortè præfatus Dominus Andreas Episcopus Posnaniensis. aut aliæ Personæ Spirituales, decimas hujusmodi pro se, & usibus ipsorum triturantium, extunc medietatem straminis, ex hujusmodi trituratione provenietis, pro se tollent; reliquam verò medietatem illi Cmethoni, apud quem decima stabit reposita, relinquere debebunt, & tenebuntur:

Item: liceat præfato Domino Andreæ Episcopo; & aliis personis Spiritualibus, absq; ullo impedimento, sive Aresto nostro, seu Officialium nostrorum, aut etiam Terrigenarum nostrorum Nobilium,

um, vel Procuratorum ipsorum, decimas liberè vendere, illi seu illis, cui, vel quibus voluerint, aut utilius potuerint. Nec *debebunt per Nos Ducem Vladislaum, seu Officiales, aut etiam Nobiles & Terrigenas nostros prædictos, vel eorum Procuratores, alia propinquitate, aut alia quàcunque occasione, in venditione hujusmodi quoquo modo impediri.*

Item, Dominus Andreas prædictus, & Successores sui ac aliæ personæ Spirituales, decimas suas hyemales, aliàs Oźiminy, *incipiendo à principio messis, usquè ad Festum S. Bartholomæi, Annonas verò aliàs* Jarzyny, *à Festo S. Bartholomæi, usque ad Festum Nativitatis Beatæ MARIÆ V. immediatè sequen: falcastratas etiam decimare tenebuntur & debebunt. Quòdsi factores præfati Domini Episcopi, seu aliarum Personarum Spiritualium, ante Festa præscripta, videlicet S: Bartholomæi, & Nativitatis B. MARIÆ ad decimationem hujusmodi venire noluerint, seu neglexerint, avisati, extunc ille Cmetho, apud quem decima stare debet, cum duobus Scabinis Civitatis Oppidi, aut villæ post lapsum dictorum festorum, mox dictam decimam indemniter, in horreum suum conducet, & conduci*

prou-

procurabit. Actum & datum in Sochaczow; feria secunda, infra Octavas Ascensionis Domini, Anno Domini 1446. Praesentibus &c.

Videatur & Statutum *Herburti*, *sub verbo: Decimae*, ubi refert compositionem Jaroslai Archi-Episcopi Gnesnensis, inter Casimirum Regem Poloniae, & Bodzantam Episcopum Cracoviensem, de differentiis decimarum.

Et imprimis de raptu decimae praedialis, ut raptor illius, monitione praemissa excommunicetur. Si verò excommunicatus in excommunicatione per sex Menses perstiterit, extunc Incolae in eadem villa degentes, qui tunc decimare tenebantur, excommunicentur cum raptore ejusdem decimae. Ubi autem uxor alicujus Viro absente decimam rapuerit: per censuras Ecclesiasticas hujusmodi ad satisfactionem condignã, contra ipsam procedatur: Si autem per sex Menses in eadem excommunicatione perstiterit, animo indurato: tunc Cmethones in eadem villa, ubi decima rapta fuerit, cum eadem excommunicentur.

Vladislaus autem Rex Poloniae *Annô 1433* Cracoviae statuit: ut raptores & detentores decimarum

marum, tum qui raptorem cum re reapta confervaverit, seu indefensionem susceperit, nisi omnia & singula rapta restituerint. & condignam emendam & satisfactionem impenderint, cùm ipsorum complicibus, pœnis & censuris Ecclesiasticis subjaceat. Et si censuras contra tales tam à Canone, quàm ab homine promulgatas: in sensum reprobum dati, ultra annum animo indurato, in contemptum clavium Sanctæ Matris Ecclesiæ, animarum suarum periculum, statutorum vilipendium, sustinuerit, decreto suo Regio statuit, decrevit, & firmissimè, & irrefragabiliter perpetuò observari mandavit: Ut dum aliquis indigena Regni cujuscunq; statûs & conditionis existat, propter raptum decimarum, vel aliarum rerum Ecclesiasticarum occupationem, aut ratione excessuum quorumcunquè, sive etiam in contumaciam, de non parendo juri, & mandatis Sanctæ Ecclesiæ sententia excommunicationis justè fuerit innodatus; ipsamquè ultra annum legalem pertinaciter sustinuerit: nec curaverit ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ redire, & pro excessu debitam emendam exhibere: Extunc annô elapsô omnia bona

ejus,

dem excommunicati, mobilia, & immobilia, quæ tunc possideret, reciperentur per locorum Capitaneos quibus subjacent, & apprehēderentur tenenda & possidenda tamdiu per Capitaneos hujusmodi, quousq; per eosdem excommunicatos, vel Capitaneos memoratos, de hujusmodi bonis, damna, vel valor rei, ipsis læsis, vel injuriam passis plenariè exolverentur. Quibus solutis bona prælibata, præfatis excommunicatis, non nisi absolutis decrevit vice versa restituenda per Capitaneos prænotatos. Quodsi præfati Capitanei Tenutariiquè, aut loca tenentes eorundem, pro tempore existentes, in executione præmissorum tardi fuerint, vel negligentes; extunc ipsi omnes pro hujusmodi negligentia, per Loci-Ordinarios jaculo anathematis feriantur, indulsit. Sed quia hæc Statuta Serenissimorum Regum, in abusū abierūt, ideo nō moramur, sed curiosum lectorem remittimus, sequitur

QUÆSITUM ULTIMUM.

Ad quem Judicem causæ decimarum spectant?

IN Statuto Regni Nostri, *ùt refert Herburtus sub verbo Spirituales*, §. *Quas Causas judices Spiritua-*

tuales cognoſcent. *Extat Statutū Sigismundi Regis, Annô Domini 1543. Cracoviæ latum.* Quod cauſæ Decimarum ad Judicium Spirituale, pertineant.

Idem habetur & in Conſtitutionibus noſtris Provincialibus Gneſnenſibus, *lib. 2. fol. 118. ſub tit. cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes. Item in Conſtitutione Provinciali Gneſnenſi à Laurentio Gembicki Archi-Epiſcopo Gneſnenſi, Annô Domini 1621. Petricoviæ celebrata, ſub tit. de juriſdictione Spirituali cap. 2.* ubi conſtitutum eſt, ut Loci-Ordinarii, Clericis, citationes & monitoria, & alia juris remedia, contra Nobiles Laicos, in cauſis decimarum, ſine reſpectu perſonarum extradi ab Officio Ordinario mandent. Et ſi alicui id negatum fuerit, ad Archi-Epiſcopum Metropolitanum ſervato juris ordine tanquam à denegata juſtitiæ appellare liceat.

In Statuto autem Magni Ducatus Lithuaniæ *cap. 3. art. 32. §. 6.* forum decimæ contra Laicos aſſignatur judicium Terreſtre vel Caſtrenſe, ſalva appellatione, ad judicium ſupremum.

In Conſtitutione Regni noſtri *Anni 1636. fol. 16. ſub tit. Kompozycya o Dźieśięćiny.* Si agatur

reſpe-

respectu decimæ compositæ in pecuniariam, Statutum est, ut processus fiat in Castro *na' Kwerele*, sine appellatione, respectu autem decimæ manipularis in judicio Terrestri, & postea in judicio Tribunalitio Regni.

Sed mihi placet distinctio, quàm Canonistæ communiter adferunt, & eam amplexus est *Lipski noster, in decade Quæstionum publicarum, quæst. 3. à numero 3.*

Quòd, si quæstio sit super jure decimandi, ad forum Ecclesiasticum tantùm cognitio & decisio spectat. Ratioq; redditur; quia tunc agitur de jure Spirituali: Laicis autem nulla data est facultas, de Spiritualibus condendi, vel disponendi: *ut habetur in cap. Tua, tit. de Decimis primitiis & obligationibus: ubi talis textus est.* Porro cùm Laicis nulla sit de Spiritualibus condendi vel disponendi facultas, imperialis concessio, quantumcunquè fiat, generaliter, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ Divina Constitutione debentur. *Facit & text: in Clementina dispendiosam, tit. de judiciis, & cap. Provenit tit. de Decimis, & in cap. Literas tit. de juramento calumniæ.*

Atq; sic cessat Regula juris, quod Actor debeat sequi forum rei.

Hinc exempli gratia. Si Parochus petat decimam à Laico; & Laicus excipiat, quod non teneatur solvere, quod sit Privilegiatus à Papa: vel quia tenetur solvere Matrici Ecclesiæ, & non Capellæ, vel quia allegat compositionem factam authoritate superioris, vel quia decima petatur de talibus rebus, de quibus Laicus negat decimas deberi, & in aliis casibus similibus, causa & cognitio spectat, ad solum judicem Ecclesiasticum.

Aut quæstio sit super facto, & non super jure decimandi, v.g. si Parochus agat contra Prædonem frumenti; raptorem decimæ, vel emptorem, quia frumentum non erat decimarum, & sic transivit cum onere suo, *ut in cap. Pastoralis tit. de Decimis.* Vel si Parochus petat Laicum compelli ad solutionem decimæ non solutæ in cujus perceptione fuit, vel si petat perceptionem illius ab eo, qui solvere tenetur decimam, & sic sola compositio postulatur, quæ in facto consistit, in talibus casibus & similibus, potest Parochus adire judicem Laicum, & Judex super tali causa cognoscere. *Ita*

Fagni-

Fagnianus lib. 2. *decretalium, ad cap. Tuam, de ordine cognitionum, folio apud me* 133. *num* 39. Idem sentit & *Piasecki ubi suprà, numero* 1. ubi subjungit: quod si obligatus ad solvendam, decimam contemnat censuras Ecclesiasticas, possit per judicem Sæcularem distringi, *juxta Glossam finalem, in Clementina final: tit. de Decimis.* Similiter quando judex Laicus judicaret hujusmodi causas, semper dat locum præventioni, Judici Ecclesiastico.

Causa decimarum, ex dispositione juris Canonici, debet summariè expediri, *ut habetur in dictâ Clementina. Dispendiosa.*

Neque in ea datur appellatio, *ut habetur in cap. Tua nobis, de Decimis.* Quod tamen intelligendum esse censet, *ubi suprà numero* 2. quò ad effectum, videlicet suspensivum: ut cum quis fuit in possessione decimæ & agit possessorio, quo minus executioni mandetur sententia possessorii, appellatione impediri non potest, secus quò ad effectum devolutivum, & ubi agitur de proprietate, seu de jure percipiendi decimam, nam tum appellari potest, *juxta Glossam in d. cap: Tua nobis; sub verbo Tributis.* Et hæc ex Zalaszevio de Decimis.

Pri-

Privilegii Bodzantæ Episcopi Cracoviensis *Anni* 1359. de quo suprà mentio facta est, tenor *ex Herburto Statutorum Regni verbo Decimæ fol. 132, & ex Dlugossi Historiæ Polonicæ libro 9. fol. 111.* hic pro informatione inseritur.

In Nomine Domini, Amen.

NOverint universi, præsentium notitiam habituri. Quòd Nos Bodzanta Episcopus Cracoviensis, attendentes, quod terra Lublinensis, Sieciechoviensis, Lukoviensis Nostræ Diœcesis, per insultum infidelium Tartarorum & Lithuanorum, peccatis exigentibus, sunt plurimùm desolatæ: volentesq; ut ad possidendum eandem, populus Christianus ferventiùs invitetur, ad petitionem instantem Serenissimi Principis & Domini nostri, Domini Casimiri, DEI Gratia Poloniæ Regis Illustris, de voluntate & consensu fratrum nostrorum Capituli Cracoviensis, omnibus & singulis, qui in terris prædictis se locaverit, aut hactenus sunt locati, in villis, prædiis, & possessionibus, in quibus ad mensam nostram Episcopalem decimæ pertinebant, à solutione decimæ, trigin-

ta an-

ta annorum spatio, à data præsentium, plenam & omnimodam concedimus libertatem. Ita tamen, quòd si dicta durante libertate, præfatus Dominus Rex, aut Procuratores sui vel Nobiles, quicunq; in bonis suis siti, in terris prædictis decimam à suis colonis receperint, vel pro suis usibus voluerint usurpare, extunc libertate non obstante, decima bonorum eorundem ad Nos & ad mensam nostrã, sine contradictione aliqua revertatur. In aliis autem bonis, in quibus decima recepta non fuerit, libertas permaneat sic concessa. Per hanc autem libertatem nostram, Monachis & Clericis sæcularibus quibuscunq;, qui in terris prædictis ratione suorum Monasteriorum aut beneficiorum Ecclesiasticorum possederunt aut possident decimas: nullum volumus præjudicio gravare: quinimò ipsorum quilibet circa jus suum permaneat sicut prius. Cæterum ordinamus, annuente ad id Domino nostro Rege prædicto, ut ubicunq; per totam nostram Diœcesim, in Civitatibus, Castris, Oppidis, villis, prædiis, & possessionibus quibuscunquè, decimæ manipulares hactenus in campis manipulatim tollebantur, ibi adhuc eodem modò, eædem decimæ in posterum tolli debent, conditione cujuslibet non ob-

stante

stante. Verùm Sculteti & Advocati Civitatum, Oppidorum, seu villarum, in quibus decimæ manipulatim persolvuntur, quatuor mansis Advocatiæ seu scultetiæ suæ, quos coluerint propriis laboribus, & expensis, de quolibet mansorum prædictorum in Festo Sancti Martini Mense Novembri, quatuor scotos grossorum Pragensium pro decima nobis solvēt. Sed si plures mansos quàm quatuor colere voluerint, aut dictos quatuor alteri vendiderint, locaverint, aut tradiderint ad colendum, de ipsis dabunt decimam manipulatim in campo, prout alii incolæ eorum vicini solvere consveverunt. Et ne labores hominum propter decimarum desidiam retardentur, decernimus, ut quilibet in Octava Sancti Jacobi, ad recolligendum suam decimam per se vel Nuncium idoneum sit paratus. Aliàs depositis & relictis in campo quinque manipulis, de qualibet quinquagena, frumenta hominum liberè conducantur. In novalibus autem exortis, ultra Vistam, versùs & citra metas Russiæ, & Hungariæ progressivè, usquè ad limites Terræ Osviecimensis, in quibus nobis hucusquè manipulatim decima non dabatur, libertate expleta, de quolibet manso pàrvo sive māgno, locato sive locando,

cando ferto grossorum Pragensium in Festo Sanct Martini prædicto, annis singulis nobis pro decima prædiali, à Rusticis solvi debet. Advocati verò & Sculteti novalium prædictorum, de quatuor mansis Advocatiæ, vel Scultetiæ suæ, quos colunt propriis laboribus, ùt præfertur, de quolibet mansorum prædictorum, tres scotos grossorum solvant illi Ecclesiæ pro decima, ubi audiunt Divina, & percipiunt Ecclesiastica Sacramenta. Sed si plures mansos, quàm quatuor, colunt, sive illos quatuor, aut ipsorum aliquem aliis vendiderint ad colendum, de quolibet ipsorum unum fertonem grossorum, sicut alii Rustici, in Festo prænotato nobis pro decima solvant. Et insuper pro gratia, quàm eis facimus, in solutione decimæ, ùt præfertur, iidem Sculteti & Advocati, fertones nostros decimales, in Festo S. Martini superiùs nominato, sub juramento fidelitatis ipsorum, à Rusticis exigere, nobisq; vel Procuratori nostro, infra quindecem dies, dictum Festum immediatè sequentes, præsentare fideliter & integraliter tenebuntur. Sed tamen ubi in prædictis novalibus nobis antea manipulatim decima solvebatur, adhuc futuris temporibus perpetuò solvi debet, nec ipsam propter hoc re-

mittimus ad fertones. Verùm quia in districtibus circa Dlugiepole & Czorastein, sub ea limitatione, videlicet inter viam, quæ currit de Myślenice versus montem, qui dicitur Obidowa usq; ad Dunaiec, ùt intelleximus, sunt agri steriles, & frigora grandia diutius terram premunt, ita, quòd parvo tempore anni inibi laboratur, volentes gratiosiùs agere cum incolis districtuum prædictorum, statuimus, quòd incolæ prædicti, qui jam ibi locati sunt, vel in posterum locabuntur, in Festo Sancti Martini prædicto pro decimi prædiali, de manso quolibet tres scotos grossorum Pragensium, annis singulis nobis solvant. Quàm pecuniam Sculteti locorum prædictorum colligent, nobisq; vel Procuratori nostro præsentabunt, prout in casu simili superiùs est expressum. Hanc autem limitationem de solutione fertonum pro decima in locis superiùs jam expressis, taliter cum Casimiro Rege prædicto ordinavimus permanere, quòd deinceps ad Civitates, Oppida, & Villas, prædia, & possessiones quascunq; totius nostræ Diœcesis ubi manipulatim decima solvitur ab antiquo, nullo unquam tempore extendatur. Item decernimus, quòd ubicunq; aliquis nobilis alteri nobili sibi æquali, necessitate cogente, hæreditatem suam obligaverit, & cre-

ditor agros coluerit; in eadem decimam frugum de agris suis solvat illi Ecclesiæ, cui is qui obligavit solvere consveverat ab antiquo. Sed si fortè labores suos dictus creditor voluerit ampliare, Cmethones repellendo & eorum agros excolendo, de agris Cmethonum, quos colet: decimam in Gonithvam solvere teneatur. Præterea ne propter causam decimalem judex Ecclesiasticus de Nobilitate Nobilium judicare contendat, quòd ubi quis Clericus petens decimam illiberam ab aliquo qui se dicit Nobilem, ipsum propter hoc ad judicium Ecclesiæ curaverit evocare, volumus ut causa nobilitatis, coram nobis vel Officiali nostro, per ipsum proposita, clypeoq; suo & parentela nominatis, per Nos & Officiales nostros, nullatenus judicetur, sed remittatur ad judicium sæculare, ut ibi nobilitatis quæstione primitùs expedita, doceat Ecclesia, quo jure talis censeri debeat, circa solutionem Decimæ Prædialis. Demum statuimus & ordinamus, voluntate & consensu Domini Regis prædicti specialiter ad hoc accedente, quòd ubicunq; ab antiquis agris progressivè quispiam sylvas, rubeta, vel mericam extirpaverit, ille decimam percipiet de novalibus hujusmodi, ad quem antiquo-

rum agrorum decima, pertinebat. Verùm si à dextris vel à sinistris, ab antiquis incolæ aliqui fuerunt collocati, extirpaveruntq; sylvas, rubeta, nemora, vel mericas, prædicti incolæ de agris ipsorum taliter extirpatis, nobis & nostris Successoribus decimam solvere tenebuntur. Insuper volumus. quòd collumbatio illibera per Rectores Ecclesiarum, à suis Parochianis non exigatur de cætero: sed quòd quis sponte, petenti offerre voluerit, cum gratiarum actionibus tolli debet. Prohibemus etiam Archi-Diaconis; Præpositis, nostræ Diœcesis, Jurisdictionem habentibus, ut in visitando non excedant numerum evectionum, à jure diutiùs institutum, nequè ratione visitationis pecuniam à subjectis exigant, Plebani, Rectoresquè Ecclesiarum pro Sacramentis Ecclesiasticis, quæ gratis administranda sunt, nihil exigant, aliàs ipsos graviter puniemus. Clerici verò cujuscumq; gradûs, statûs, vel conditionis existant; bona patrimonialia possidentes, ad expeditionem cum Domino Rege de ipsis transeant, juxta ipsius omnimodam voluntatem. Et ut Divinus cultus nostris partibus augeantur, promittimus, quòd ubicunq; quis Nobilis congruam sustentationem Clerico & Presbytero assignare curaverit

verit

verit, eandẽ Ecclesiã in bonis suis fundabimus citra dilatationẽ. Præterea volumus, quòd Laici deinceps pro debitis, & in aliis causis civilibus, per Clericos ad forũ Ecclesiasticũ nõ trahãtur, nisi fortè sit causa Spiritualis, vel spirituali annexa, vel debitum decimale fuerit. Quòd etiã pro fabrica Ecclesiæ nostræ Cathedralis medietas redituum primi anni à Clericis exigi consveverat, hoc eisdem tenore præsentium sit remissum. Ut autem prædicta nostra ordinatio, Constitutio, seu Decretum, temporibus perpetuis inviolabiliter perseveret, ipsam conscribi jussimus, nostrique ac Capituli nostri prædicti Sigillorum appensione muniri. Actum & datum Cracoviæ, die 14. Junii. Annô Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo nono. Præsentibus & Ordinantibus, Venerabili in Christo Patre, Domino Jaroslao Divina Providentia Sanctæ Gnesnensis Ecclesiæ Archi-Episcopo; ac Honorabilibus Viris, D.D. Othone Præposito Gnes. Nicolao Custode, Cracoviensi, Sveslao Visliciensi, Nicolao Scabimiriensi, Præpositis: Necnon Vilczkone Sandecensi, Castellano, Andrea Succamerario, & Petro Tribuno Cracoviensibus, & aliis. Per ma-

nus Nicolai Licentiati in Jure Canonico, Plebani Luborzycensis, Curiæ Nostræ.

Ex quo quidem Privilegio elicitur Episcopum Cracoviensem cùm assensu Capituli sui, Nobilibus atquè Colonis Bonorum Terrarum Lublinensis, Sieciechoviensis, & Lukoviensis, per incursiones Tartaricas & Lithvanicas summopere desolatarum Decimas ad Mensam suam Episcopalem pertinentes, non item ad Ecclesias Parochiales de jure spectantes ad decursum triginta annorum remisisse: cavisseq; , ut in districtibus circa *Długie-Pole*, & *Czerastein*; inter viam quæ currit ad Myślenice, versùs montem, qui dicitur *Obidova* usq; ad *Dunaiec*: propter sterilitatem agrorum Decima pecuniaria per sex scotos Pragensis monetæ de manso uno solvatur Ecclesiis Parochialibus. Ubi verò Decima manipularis ab antiquo in villis Oppidis & Civitatibus pendebatur ibi pecuniariæ Decimæ non est locus.

Quòd autem Episcopus memoratus dicit, Nobilem unumquemq; ex Laneis Cmethonalibus pro suo Prædio cultis Decimam pendere debere in *Gonithvam*; per Gonituam (cujus verbi crebra fit in

Li-

Libris Beneficiorum commemoratio) intelliguntur exercitus Polonici, infestas turmas Tartarorum & Lithvanorum insequentes, pro quorum bellicis stipendiis Casimirus Magnus Rex Poloniæ, per suum ad Sedē Apostolicā Legatū Albertū Cancellariū Dobrzynensē impetravit à Clemēte Papa, ut dicto Casimiro Regi contra subitos Lithuanorū & Tartarorum insultus pro ea vice plurimùm Regnū Poloniæ afficiētes & affligētes per decimā quadriennalem universus Poloniæ subveniret Clerus, *prout testatur Dlugossus Hist. Polon: lib. 9. sub Annò 1352. fol. 1099. necnō Cromerus de Rebus Polon. lib. 12. fol. 309.*

Observandū *primò.* Miecislaum primum Christianum apud Polonos Principem Ecclesiis Cathedralibus noviter à se fundatis, earumq; Episcopis, Decimas omnis generis frugum de suis juxta ac Nobilitatis, plebisq; agris edicto perpetuo adscripsisse; ita quidem; ut eæ Decimæ post messem ab iis qui dant ad constitutum locum comportentur. *Teste dicto Cromero Historiæ Polon: lib. 2. fol. 47.* De quibus quidem Decimis ad Plocensem Ecclesiā, de Terra Michałoviensi provenientibus, successu

tempo-

temporis, Joannes Episcopus Plocensis cum Carolo Magistro Crucigerorum circa *Annum 1319.* transegisse ea lege; ut nomine Decimæ Nonaginta Marcas Thorunenses Episcopus quotannis acciperet, elicitur ex dicto *Cromero Hist. Polon. lib. 11 folio 281.* Similem Transactionem cum Crucigeris de Decimis ad Ecclesiam Vladislaviensem de Pomeraniæ ora provenientibus, Episcopus Vladislaviensis circa *Annum 1328.* inivisse in hunc modum comperitur; ut senos grossos annuos in jugera Decimæ nomine, tam ipse quàm Sacerdotes ejus omnes acciperent teste *dicto Cromero de Rebus Polon. lib. 11. folio 289.*

Observandum *secundò* quòd subvectionem seu comportationem Decimarum ad constitutum locum per Miecislaum concessam Casimirus Magnus Rex Poloniæ in Dioecesi Cracoviensi indignatione permotus inhibuerat, sed tandem meliori consilio ac saniori ductus, inhibitionem eandem, de non ducendis in horrea Ecclesiasticarum personarum manipularibus Decimis non solùm abrogavit revocavitq;, sed certo Privilegio Ecclesiæ & Dioecesi Cracoviensi concesso, (quòd in Constit.

Provin-

Provinc: Regni noſtri videre licèt,) Omnes & Ruſticos, ad ducendam manipularem Decimam ad loca per eos electa, decimarum Dominis & Poſſeſſoribus, decreuit perpetuò eſſe adſtrictos & ſubjectos: quòd factum eſſe *Annò 1352.* *Dlugoſſus Hiſt, Polon: lib: 8. fol. 1093. atteſtatur.*

Obſervandum *tertiò*; Decimas Manipulares deberi Eccleſiaſticis Perſonis. unà cum Straminibus, niſi aliter pactum Statutum, aut conſvetudine introductum ſit: Unde in aliis locis, ubi Decimæ manipulares penduntur medietas Straminum, in aliis tota Stramina relinquuntur ex ratione trituratione, vel locationis manipulorum decimalium. Quomodo autem extradi debent Stramina, informat unumquēq; plenè ſuperiùs allatum Vladislai Ducis Maſoviæ Privilegium. §. *Volumus præterea*, extraditionem verò Straminum, plurima Judicum Eccleſiaſticorum, eorum ſignanter; ubi Decimæ manipulares penduntur judicata confirmant.

Obſervandum *quartò*; proprietatem decimarũ, probari & deduci poſſe, variîs modîs in judicio. Probari enim poteſt præſcriptione ſeu uſu legitimè intra tempus à jure aſſignatum, præſcripto, literis

quoq; erectionis, dotationis, donationis, incorporationis, Contractuum, ac aliis expressis dispositionibûs. De Jure verò Regni Nostri, probantur optimè Libris beneficiorum, qui in defectu aliorum originalium documentorum ac jurium, ex beneplacito Reipublicæ vim erectionis obtinent, juxta *Constitutionem Anni 1635, fol. 12. tit. De Libris Beneficiorum.*

Observandum *quintò*, Religiosos cujuscunquè Ordinis, in materia decimarum, non posse se tueri exemptionibûs; ut coram Loci-Ordinariis pro illis Conventi non respondeant, & forum eorum judiciale recusent. Interest enim Loci-Ordinariorum, Decimarum causas discutere, definire, & in iisdem justitiæ facere complementum; Religiosi verò omnes ratione rei, de quà agitur, coram Locorum-Ordinaris possunt conveniri ut sonat clarè *textus in c. 1. de Privileg. in 6. Concilium Trident. cap. 14. sess. 7.* & Piasecki *part. 2. cap. 3. num. 15. & 20*, & Lauretus, de Franchis, *in opere Controversiarum inter Episcopos & Regulares q. 5. pag. 258. numero 5.* Unde exceptio declinatoria in talibus non currit: exemplũ hujus haberi potest in

Reli-

Religiosis Camaldulẽsis, Ordinis Mõtis Coronæ ad
Cracoviam, qui in causa illibertationis Decimæ in
Villa sua *Bielany*, ad PrælaturãDecanatûs Ecclesiæ
Collegiatæ Sanctorũ Omniũ Cracoviæ spectantis
non ita pridem Judicium Consistoriale declinan-
tes, penes eandem, declinatoriam exceptionem in
Curia Romana non sunt manutenti.

Observandum *sextò:* Constitutionem Regni no-
stri *Annô 1635. fol. 10.* ratione compositionis pro
decimis, nihil Suffragari quibuscunq; Tenutariis
Bonorum Regalium; nam ea Constitutione Rex
cum Republica, expresſè manutenuerunt Spiritu-
ales circa manipulares decimas; ut nimirum ex
Bonis Regalibus sine ulla contradictione Tenuta-
riorum Bonorum Regalium juxta antiquam con-
suetudinem, decimæ in manipulis extradãtur. Un-
de cum directi Domini extraditionem de-
mandant, frustra utiles reluctantur, cum ad eorum
provenientes ex Bonis utilitates, decimæ de Jure
non spectant. Et licèt quandoquè Bona Regalia
titulo donationis trasfeunt in Hæreditaria Nobili-
um; non mutant naturam Regalium, quò ad deci-
mas manipulatim pendendas. Et sic cùm in Comi-

tiis Regni Generalibus Joanni Wychowſki, Palatino Kiioviæ duæ Præfecturæ Luboveliensis & Barensis, jure perpetuo Hæreditario donarentur, in salvo relictæ sunt pensiones decimales, ad Ecclesias in ibidem consistentes spectantes: prout sonat Constitutio *Anni 1659 fol. 56. tit. Danina wieczna.* Similiter definivit Respublica salva manere jura Ecclesiarum, in illis Capitaneatibus; qui de consensu unanimi Regi ad vitam tenendi conceduntur, vel in posterum concedētur. *Constitutio Anni 1676. fol. 32. tit, Starostwa.*

Observandum *septimò*; Compositiones de Decimis juxta dictam Constitutionem *Anni 1635.* cum Spiritualibus ineundas, intelligi de illis decimis, super quarum proprietate nulla res judicata, nulla erectio, nullum per Spirituales producitur documentum, aut contractus nec de usu earundem docetur. Ita declarat *Constitutio Annò 1578.* de tenore tali: *Decimæ in Regno necnon in Magno Ducatu Lithuaniæ ex Bonis Nobilium: quarum hactenus Domini Spirituales, in usu non sunt, nec fundationes, Inscriptiones, Contractus super iis scriptos, aut decretis adjudicatos non habent, quique*

eas-

easdem decimas, hactenus non pendebat ad Compositionem proxime affuturam suspenduntur. Similis dispositio *in Volumin: Legum Anni 1607. folio 835,* tit. O Dziesięcinach: *habetur tenoris talis: Decimas Dominorum Spiritualium, in Regno & in Dominiis ad illud spectantibus: necnon in Magno Ducatu Lithuan: ex bonis Nobiliũ, in quarũ usu hactenꝰ non sunt, nec erectiones, inscriptiones, Contractus scriptos vel decretis adjudicatos non habent: & qui easdem decimas hactenus non dareti adCompositionem proximè futuram juxta Constit. Anni 1578. differimus & suspendimus.* Quare non videntur Compositioni per Breve Apostolicum Urbani VIII. pro illo tempore permissæ & per Constitutionem dictã laudatæ decimæ; super quarum proprietate contractus, jura, vel erectiones producuntur vel in quarum usu Spirituales ab antiquo extiterunt vel existunt subesse, nam de hujusmodi Decimis nulla dubietas, adeoq; nulla pro illo Constitutionis tempore volvebatur controversia. Atq; ita in Causa Decimarum ex agris Villarum *Siedlec* & *Zędow* ad Ecclesiam in *Koniemłoty* Dioecesis Cracoviensis: spectantium Annô 1642. die Veneris. 28. Mensis

Martii

Martii. Perillustris Olim, & Admodum Reverēdus Martinus Kłociński U. J.D. Sacratissimi Corporis Christi Casimiriæ ad Cracoviā Canonicorum Regulariū Præpositus ab Urbano VIII. Judex Delegatus conclusit dicens. *Christi Nomine invocato &c. in his scriptis dicimus, pronuntiamus, declaramus, & decernimus, Constitutione Conventus Generalis Regni Varsaviensis cautum ordinatum & declaratum fuisse & esse ad decimas super quas erectiones originales, & Jura alia Instrumentaquè evidentia & Decreta Tribunalis Regni extant & habentur compositionem non esse extendendam, nec debere extendi. &c.* Conformiter Judicium Sacræ Nuntiaturæ Regni Poloniæ definivit in Causa decimarum manipularium ex agris Curialibus Villarum *Krysta* & *Drochowo* ad Ecclesiam Kryscensem Dioecensis, Plocensis, spectantium & pertinentiū, ferens Decretū tale: *Cùm tam ex compositione arbitrali A. 1536. quàm ex visitatione generali Ecclesiæ Kryscensis Anni 1592. appareat Decimas manipulares ex agris Curialibus Krysta & Drochowo pertinere ad supradictam Ecclesiam, nec Pars adversa fundamentum aliquod deduxerit ad effectū*

se exi-

se eximendi à tali præstatione; cùm Breve Urbani VIII. non abstulerit omnes Decimas à Regno Poloniæ, sed solùm controversias de eo tempore existentes inter Ecclesiasticos & Nobilitatem per Compositionem juxta modum in eodem Brevi præscriptum voluerit terminare, ideo non esse locum petitæ à parte appellante compositioni declaravit, & prævia confirmatione Decreti primæ instantiæ Partes ad idem Officium pro executione remisit.

Observandum *octavò*; de decimis posse fieri compositiones per Personas Spirituales; cùm enim fructus decimales cedant in sustentationem illarum, liberum est iisdem tanquam rem suam omni meliori modo disponere. Nihilominus hujusmodi compositiones non posse Successori præjudicare, nam transactio est de genere alienationis ab illo facta, qui nullum jus in rem Ecclesiasticam, aliter eam disponendi cum præjudicio Successoris habet; nisi hujusmodi Transactio cum utilitate Ecclesiæ, præmissis de jure præmittendis facta, sit, & læsionem non inferat, & fiat deniq; Auctoritate Episcopi approbata; nam tali compositioni seu transactioni semper standum est, nec aliquo modo eam irritan-

dum est, prout cavetur *in Constitutione Anni 1638. fol 12. tit. Deklaracya.* Irritari nihilominus possunt transactiones, si sint læsivæ jurium Ecclesiæ, si contenta ipsarum non observentur, si non præcedat taxatio, per Deputatos ex Capitulo, si non intercesserit Authoritas Episcopi, imò quandoq; stante etiam interventu Authoritatis ordinariæ irritari & rumpi possunt & quod majus est annulari transactiones, si in eis interveniat dolus; vel transigenti personæ Spirituali nullum jus ad talem decimam competat, vel comperiatur commissum in eis aliquem in essentialibus errorem, vel variationem quotæ pecuniarum pactæ &c.

Observandum *nonò*; Practicari quandoq; commutationes Decimarum pro aliis decimis vel Bonis accedente consensu Loci-Ordinarii. Ita Hæres olim Villæ *Niedźwiedź*, in Diœcesi Cracovien: exonerando se ab onere præstationis Decimæ Prædialis, Parocho Ecclesiæ in ibidem còëmit pro eodem Parocho certos agros apud Cives Oppidi *Słomniki*, eosdemq; jure perpetuo prædictæ Ecclesiæ applicuit. Similem commutationem decimarum, pro qvibusdam Villis conclusisse inter se per me-

dium

dium Commissariorum ab utrinquè Deputatorum Episcopus Vilnensis, & Stanislaus Radivilius Cancellarius M. D. Lith. & confirmationem illius in Comitiis Regni generalibus procurâsse comperiuntur *in Constit. A. 1647. fol. 15. tit. Kommutácya Dźieśięćiny.* Pro pari confirmatione permutationis decimarum manipularium ex Oeconomia Pinscensi provenientium, pro septem laneis *Kozaki* aliàs; *Sielce:* vocitatorum ab Oeconomia Pinscensi prævio consensu Regio avulsorum, cū Christophoro Pac, Castellano Połocensi conclusæ instexecuterunt, in Comitiis Regni generalibus Patres Franciscani Conventûs Pinscensis *Annô 1726.* Sed desiderium eorum dilatū est ad alia Comitia generalia. *Const. Anni 1726. fol. 40. tit Recess desideriorū.*

Observandum *decimò*, Ex superiùs allatis hocce titulo deductum sit Constitutionem toties mentionatam *Anni 1635. folio 10. tit. Kompozycya o Dźieśięćiny.* Forum de Decimis in Castro, in Jure Terrestri & in Judiciis Tribunalis Regni præscribentē intelligi debere *primò*, quatenus actio est super facto, veluti contra prædonem, raptorem Decimarum, item non solventem pactum pretium de

Decimis: ideſt quatenus ſola compoſitio à Judice ſæculari poſtulanda ſit: non verò quatenus actio eſt de Jure decimandi, quod eſt purè Spirituale, & ad Judicium Eccleſiaſticũ ſpectans. Nihilominus etiam ſub tali interpretatione acceptam prædictam Conſtitutionem non videtur ad executionem deductam eſſe ex ſequentibus, partim quòd in Conſtitutione Grodnenſi *Annò 1678. fol. 13. tit. O Dźieśięćinách;* modo primum urgetur dictæ Conſtitutionis excutio his verbis. *Legem de decimis juxta Conſtit. Anni 1635. ut in executione exiſtat, authoritate præſentis Conventus conſtituimus, & ſi quòd decretum contra ſuperiùs allatam Conſtitutionem ſit latum, nullitati ſubjacere debet.* Partim quòd in Declarationibus Palatinatuum & Terrarum Regni Poloniæ, (prout videre licèt in *Volumine Regni ad finem Conſtitutionis Anni 1685. fol. 21. §. Wojewodztwo Krākowſkie)* Nobilitas Palatinatûs Cracovienſis querulata eſt contra Spirituales, de non obſervatione Conſtitutionis, cautionem ſuam interponens ſub tenore tali; *Tum quoquè præcuſtodimus, ut Status Nobilium nullum patiatur præjudicium in juribus ſuis, quæ ſunt expreſſa*

in

in Constitutionibus Anni 1635. sub titulo compositio inter Status (Nimirum Spiritualem & Nobilitarem) *& non evocetur ad Forum Spirituale juxta eandem Constitutionem*; Partim deniquè, quod ubi penduntur Decimæ manipulares, ibi in Judiciis Consistorialibus praxi antiquata actiones de Decimis instituebantur & decidebantur prout & ad præsens instituuntur, atq; deciduntur. *Secundò* intelligi debere, quòd solùm enuntiant de Decimis Nobilium, idest quas Nobiles pendere debent, non autem de Decimis Villanorum: Ita declaravit Illustrissimus Fabritius Sarbelloni, Archi-Episcopus Patracensis, Nuntius Apostolicus in Regnó Poloniæ *Annò Domini 1741. die Mercurii quinta Mensis Julii* in Causa Decimarum ex Villa *Falissowice*, ad Ecclesiam in *Chobrzany*, spectantium & pertinentium, decidens eandem causam Decreto hujusmodi. *Quandoquidem in Casu præsenti non habet locum Compositio in vim Brevis Urbani VIII. loquentis solùm modo de Decimis quæ à Nobilibus extraduntur, non autem à subditis, ideo Decretum primæ instantiæ exequendum esse decrevit, &c.*

Observandū *deniq; undecimò ac ultimò*; Rempu-

blicam in prædicta Constit. Anni 1635. tit. *Kompozycya o Dziesięćiny*, assignâsse forum in Castro ex Jure terrestri; ac etiam in Judiciis Tribunalis Regni Personis Spiritualibus contra Personas Nobilium, si nimirum contraveniant Compositionibus approbatis, & pactam in iis pecuniam non solvant, vel si Decimam manipularem à Spiritualibus petitam extradere denegant: Non item Personis Nobilium contra Spirituales. *Primum*, ex verbis Constitutionis colligitur; *respectu autem Decimæ pecuniarum per hanc Constitutionem approbatæ & decisæ constituimus forum in Judiciis Castrensibus* ná Kwerele, *sine appellatione*, qualis etiam appellatio in Causis Decimarum liquidi Juris prohibetur *Constitut. Anni 1670. fol. 23. tit. O appellacyách.* Item inferius: *hi autem qui penes Decimam manipularem* aliàs wytyczney, *remanere volunt forum in judicio terrestri, & postea in Judiciis Tribunalibus Regni habeant. Secundum* pariter colligitur ex eadem ipsa Constitutione ibi *Quodsi Spiritualis in termino per Compositionem assignato nolit pecuniam à Nobili accipere, in tali casu pecuniam Nobilis in Castro deponat, & non poterit ampliùs à Spirituali*

mole-

molestari. Ex quo patet, quòd in tali casu Nobilis sit liber ab impetitione Spiritualis, nec pro renitentia in recipienda pecunia Spiritualem molestare, & ad Judicia sæcularia trahere debet; quia satis est, quòd Spiritualis Persona pecuniam non recipit, & injuriam suam ultro ipse patitur. Quapropter non rectè faciunt omnes illi, qui nullo Jure freti & solo suo arbitrio Spirituales, ad Judicia partim Castrensia, partim Terrestria ac Tribunalitia in causis Decimarum, vel non acceptationis pecuniarum pro iisdem Decimis compositis, quandoquè lite super eisdem in Foro Spirituali pendente, imò etiam decisione peracta, trahunt & provocant, ac ideo jure merito, ad instantiam Spiritualium pro evocatione pœnis compensationis damnorum, ac etiam excommunicationis mulctantur & feriuntur.

Pro Coronide Tractatus hujus superadditur, quod ubi ex vi compositionis authoritate Episcopi approbatæ decima pecuniaria pẽditur; ibi attendẽdum est ad pactum in Contractu seu Transactione pretium, & qualitatem monetæ. Si enim per partes componentes assignati sunt in Contractu pro

Deci-

Decima. Taleri, vg. Imperiales, vel aurei Hungaricales in specie, tunc tales in specie Spiritualibus solvi debent, non obstante depretiatione vel extensione pretii hujusmodi monetæ; quia Contractus dant legem hominibus, & primò quidem sunt voluntatis, postea tandem necessitatis. Etsi aliquando Pars Parti pro moneta in Contractu olim expressa currentem nunc offerat, vg. pro Aureis vel Imperialibus, florenos triginta grossis æreis constãtes, respiciendum erit ad valorem in Regno currẽtem, ut hujusmodi floreni oblati valori Imperialiũ vel Aureorum æquivaleant. Sic enim in Regno Poloniæ observandum fore præscripsit Respublica in Comitiis Grodnensibus Cõstitutione *Anni 1726. fol. 46, tit. Trybunał głowny.* §. *94. Kontrakty.* decidens hîs formalibûs: *Cavetur, ut ab hinc tam summæ quælibet, quàm & Census Reemptionales, qui in futurum obligabuntur super Bonis Terrestribus: monetâ in contractu expressa valore autem in Regno currenti exolvantur.* Nec obstat; quòd *Casimirus III.* Jagiellonides Rex Poloniæ in Comitiis Petricoviensibus *Annò Domini 1451.* omnes Spirituales ad acceptationem pro decimis monetæ minutæ per

milites

Milites vel quoſcunquè alios debitores præſtitæ Statutô ſuo perpetuo adſtrinxerit, & in caſu non acceptationis ejuſdem minutæ monetæ, amiſſionè decimæ dictis Spiritualibus comminatus fuerit; nam in hocce ipſo Statuto præſervavit Spiritualibus ſalvum recurſum ad contractus & originales Inſcriptiones; in quibus non minuta pecunia braccata, ſed lati groſſi monetæ Pragenſis per expreſſum appoſiti habentur. Sic enim dictus Rex inquit: *Inter Prælatos & Barones Terrarum totius Regni unanimiter ordinatum eſt, ac concluſum, quòd pecunia minuta braccata indifferenter per totum Regnum Poloniæ & Ducatum Mazoviæ, tam pro Noſtris, quàm etiam Prælatorum, Principum, Baronum, Nobilium, & cujuslibet Status hominum proventibus, ut pote teloneis, exactionibus, contributionibus, cenſibus, Decimis, necnon pœnis, memorialibus, arris ſeu notis Notariorum, Reſignationibus, item mercibus & ſingulis rebus venalibus ſine contradictione, tam per Nos ſeu Noſtros Officiales, quàm etiam Prælatos, Principes, Barones, Capitaneos, Nobiles & quoslibet Regni Poloniæ & Ducatum Mazoviæ Incolas & ſubditos modo dudum*

ſtatu-

statutô, videlicet, novem denarios pro quolibet medio grosso lato computando recipiatur & exigatur, nisi fortè aliquis de Iure pro Censibus & Decimis fertonalibus, debeat exigere lâtos grossos monetæ Pragensis, &c. Herburtus ver: Moneta. §. Casimirus DEI gratiâ Rex Poloniæ.

Et hæc de Decimis scripta, cedant ad Majorem Gloriam Sacerdotis Magni secundùm Ordinem Melchisedech JESU CHRISTI.